MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80342-4

AUTHOR: STERLITZ, ABRAHAM

TITLE: DE ANTIQUO CICERONIS....

PLACE: GNESNAE

DATE: [1874]

Master Negative #
91-80342-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Strelitz, Abraham, 1851-
De antiquo Ciceronis De re publica librorum enemdatore; dissertatio inauguralis quam... publice defendet auctor Abraham Strelitz... Gnesnae, typis J.B. Langii, [1874]
95 p. 23 cm.

Thesis, Breslau, 1874.
Volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/12/92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ANTIQUO CICERONIS DE RE PUBLICA LIBRORUM EMENDATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXVI. M. JUNII A. MDCCCLXXIV.

HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ABRAHAM STRELITZ

GNESNENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

I. PARTSCH, DR. PHIL.
F. DE STOIENTIN, CAND PHIL.
R. OSTMANN, CAND. PHIL.

GNESNAE,

TYPIS J. B. LANGII.

AUGUSTO REIFFERSCHEIDIO

SACRUM.

I.

Codex Vaticanus 5757. membr. in 4° foliorum 151. saec, ut videtur, V—VI. [1]) olim Bobiensis, quo solo continentur Ciceronis de re publica libri, magnam ac summopere dolendam accepit calamitatem. nam praeterquam quod saeculo circiter octavo [2]) rescriptus est a librario qui Augustini in psalmos commentarium in locum scripturae ablutae substituit, tot in hoc palimpsesto desiderantur paginae ex Angeli Mai, cui principem editionem Romae a. 1822 vulgatam debemus, veri simili computatione, ut quarta solummodo pars Tulliani operis codice Vaticano contineri videatur. nec tamen hoc in opere omnino destituti sumus fortuna, quippe cum codici admodum neglegenter atque mendose exarato saluberrimam adhibuerit curationem emendator eodem de quo ipse codex descriptus erat libro usus brevi post librarii operam. qua de re cum iure gratulari sibi deberent fragmentorum Vaticanorum editores, ultro calamitati qua codicem afflictum esse dixi novam addiderunt, cum nemo eorum qua par erat aequitate manus emendatricis (quam nota 'm. 2' significabo) rationem haberet.

Sunt autem qui tam inique de emendatore antiquo iudicaverint, ut non cum alio exemplari codicem cum contulisse,

1) hanc GN du Rieu, Schedae Vaticanae (Lugd. Bat. 1860) p. 18 sqq., codici tribuit aetatem refutata Mai coniectura dubitanter prolata in edit. suae praef. XIV. cod. exaratum esse 'extremis saltem Caesaribus rem Romanam adhuc tenentibus,' quam secutus Silvestre (paléogr. universelle) cod. saec. II.—III. scriptum esse contendit, cum Osannus in ed. suae praef .XIV. sq. aetatem ad saec. IV. proveheret.

2) cf. Du Rieuum l. c. p. 6. et Reifferscheidium in bibliotheca patrum Latinorum Italica I. p. 448 sq.

sed pro arbitrio suo atque libidine modo correxisse modo depravasse censerent. quorum ex numero Heinrichius [1]) expresse dixit non eo ex genere fuisse hunc emendatorem qui librum scriptum conferrent cum exemplari unde transcriptus esset et admissa a librario menda tollerent, sed qui codicem ex ingenio emendarent iudicio suo et naso nunc recto nunc pravo usi, ut auctoritas eius non maior censeri posset quam nostrum cuiusvis verum et rectum metientis pede suo. quam in eandem sententiam Niebuhrius discessisse videtur, cum de celeberrimo loco de rep. II. c. 22 disputans [2]) haec diceret: 'unwissenden abschreibern und jener unseligen, den buchhändlern des altertums dienstbaren classe von bücherberichtigern, die, wie sie sich in den unterschriften wol rühmen, *sine libris pro viribus ingenii* die verkäuflichen handschriften verbesserten, war er (Cicero) freilich nicht verständlich, und so entstand durch gedankenloses abschreiben und dummes nnd verwegenes ändern jene gräuliche corruption, worin die stelle erscheint.' ut alios omittam etiam Ritschelius hanc sententiam suam fecit, cum eodem de loco dissereret in Nov. Mus. Rhen. vol. VIII. p. 314, cf. ibid. p. 406.

Plane secus de emendatoris auctoritate iam Maius ipse statuit, cum diceret: [3]) 'codici Vaticano priscus emendator non defuit, qui vel praetermissa verba aut membra supplevit, vel menda plurima recte sustulit; idem tamen lectioni bonae aliquando deteriorem supposuit et errores non abstulit, sed sevit. in eo quoque non bene meritus est, quod antiquiorem scribendi rationem haud semel immutavit' eamque ad regulam textum, qui vocatur, correxit. sed quamquam ductus iudicio hoc in universum recto iam in ed. principe [4]) Ciceronis libros re vera emendatiores in lucem protulit, tamen incertum illud 'aliquando' non satis ei auctoritatem m. 2^{ae} exploratam fuisse docet. qui eum secuti sunt editores Schuetzius (Ciceronis opp. deperditorum frgmta, pars II. Lipsiae 1823) Steinackerus (Lipsiae 1823) Villemainius (Parisiis 1823) Lehnerus (Solisbaci 1823) Moserus (Francofurti ad Moen. 1826) Zellius (Stuttgartiae 1827) Nobbius (Lipsiae 1827) Orellius (opp. Ciceronis tomi IV. pars I. Turici 1828) Klotzius (opp. Ciceronis partis IV. vol. II. Lipsiae apud Teubn.) omnes in emendando cod. plus minus Mai de m. 2^{a} iudicio usi sunt. etiam maiorem emendatori tribuendam esse auctoritatem Osannus (Gottingae 1847) auctore Rudolpho de Raumer, qui perpaucis locis exceptis ubique meliorem lectionem sequi emendatorem contendit, [1]) videtur censuisse, cum Mai ed. alteram et aliis de causis et eo nomine laudaret, quod diligentior m. 2^{ae} ratio habita esset, et ipse in praef. p. XVIII. haec diceret: 'cum suum esse putaret (sc. emendator), ut exemplum quam nitidissime scriptum exhiberet, non in eo adquiescendum constituit, ut vel ex eodem exemplari quod librarius descripserat errores ab hoc commissos vel ex meliore alio contextum corrigeret, sed ut etiam scribendi rationem, ubi mendosa videbatur, reformaret,' qua quidem in re suum ipsius emendatorem iudicium manifesto consuluisse secutumque esse. sed ut in orthographia genuina Ciceroni reddenda mirum quanta fuit inconstantia simulque libertate, [2]) sic etiam in ratione m. 2^{ae} habenda — quamquam quod de hac tulit iudicium ne ipsum quidem omni ex parte rectum esse mihi videtur — plus promisisse eum quam praestitisse suo loco adparebit.

Du Rieuus, qui conlationem cod. Vat. post Maium diligenter institutam publici iuris fecit in Schedis Vaticanis, idcirco diligenter rationem sese habuisse ait [3]) et punctorum quae corrector eis literis superaddidit quas expungeret et lineolarum trans literas vitiose scriptas ductarum, quo meliora doceantur qui exstiterint obtrectatores auctoritatis m. 2^{ae}, atque eandem in sententiam l. c. p. 44. dicit correctorem fere ubique bene emendasse. sed idem ille m. 2^{ae} patronus nescio an in contrariam partem discedere videatur, cum non eum se esse ait cui

1) in edit. suae (Bonnae 1828) p. 162.

2) HR. I^3 p. 499 sq. adnot. 1089.

3) praef. XIII.

4) ed. altera conlatione codicis denuo instituta prodiit Romae a. 1828 in Auctor. classicor. tom. I., ed. tert. a. 1846.

1) de Servii Tullii censu diss. (Erlangae 1840) p. 18.

2) v. Weissenborn. annal. philol. vol. LII. pag. 160 sqq. et du Rieu. l. c. p. 14 sqq.

3) l. c. p. 11 sq.

1ae m. errores ad veram scripturam ducere non posse videantur, immo de industria se inquisivisse, quibusnam locis m. 1 cum veram lectionem tum genuinam orthographiam servasset, nec vanum fuisse laborem: quamquam nondum exprompsisse eum suam de illis opinionem doleo. hoc saltem diserte dicit [1]) quae omissa fuerint vocabula non ex ingenio esse suppleta.

Nova du Rieui conlatione simulque Detlefsenii apographis accuratissimis complurium locorum usus Halmius (in opp. Ciceronis ed. alt. ab Orellio instituta eiusque post mortem a Baitero et Halmio continuata, vol. IV. Turici 1861) fragmenta Vaticana recognovit, quam recensionem Baiteri excepit editio (in opp. Cic. ab ipso et Kaysero editor. vol. VIII. Lipsiae 1865) perpaucis locis ab illa discrepans, quemadmodum ipse dicit Halmium futuris editoribus exiguum reliquisse spicilegium. at equidem fateor quid illorum uterque de m. 2a statuerint me perspicere non potuisse, nam emendationes eius modo tamquam lectiones optime traditas recipiunt modo tamquam interpolationes respuunt. quod optimo iure Reifferscheidius, [2]) praeceptor carissimus et veneratissimus, reprehendisse mihi videtur omnes m. 2ae scripturas exceptis paucissimis correctionibus maximam partem orthographicis, quas emendator sive quod rectius dicas conlator ex libidine sua fecisse deprehenderetur, recipiendas esse sese demonstraturum professus. sed benigne ac liberaliter mihi hanc provinciam administrandam mandavit, quo quidem munere pro facultate mea qualicunque hoc libello fungi mihi proposui. [3])

II.

Priusquam autem ad quaestionem ipsam accedam, pauca de ratione qua in universum libri manuscripti correcti esse videantur praemittere iuvat, qua de re cf. inprimis Reifferscheidii quod modo commemoravi commentariolum, qui cum post Ottonem Jahnium [1]) et Haasium [2]) de subscriptionibus codd. Latinorum ageret eam quae huc maxime pertinet emendatorum operam praeclare inlustravit. (praeterea v. Maium in praef. XIII. et Wattenbachii librum inscriptum 'Das Schriftwesen im Mittelalter' p. 184 sqq.)

1) l. c. p. 13.

2) in commentariolo de Latinorum codd. subscriptionibus indici schol. Vrat. 1872|3 inserto.

3) Iam Francogalli cuiusdam exstare commentationem inscriptam 'Du palimpseste de la république de Cicéron' atque insertam operi 'Mémoires en confutation des ouvrages III par Ang. Mai' vulgato Patavii a. 1844 ex Osanni conspectu literario comperi. sed mihi non magis quam ipsi Osanno ut illam nanciscerer contigisse valde doleo.

Atque primum quidem monendum videtur eam quam hic paucis adumbrare studebo emendandi rationem diversam esse a critica illa, quae dicitur, Aristarchi, M. Valerii Probi, aliorum grammaticorum; at vero similis est ei qua labentem in dies ethnicorum religionem viri nobili loco orti e. c. Symmachi, Nicomachi veteris philosophiae studiosi legisque Christianae infesti sustinere studebant, cum id agerent ut veterum auctorum codd. tamquam editorum munere functi emendatiores redderent modo uno cod. conlato modo libris undique contractis, ut Suetonii verbis utar, interdum etiam sine libris pro suo quisque ingenio. atque eorum quidem emendatorum subscriptiones egregie tractavit Otto Jahn.

Sed quae huc in causam venit emendatorum opera ei simillima est quae nostra aetate in corrigendis libris typis impressis adhibetur. etenim iam antiquissimis temporibus consentaneum videtur bibliopolas singulos quosque codd., priusquam in usum venirent, in officinis suis vel stationibus librariorum plerumque ad normam exemplorum ex quibus illi descripti erant corrigendos curasse. quod re vera factum esse testantur et emendationes ipsae et codicum subscriptiones, quibus sub calce totius operis vel singulorum librorum vel etiam quaternionum positis correctores plerumque conferendi sive etiam perconferendi, interdum emendandi, corrigendi, recognoscendi, legendi, relegendi, perlegendi verbis usi nomine ipso interdum adiecto operam suam significare solebant.

Fieri sane potuit ut ipse librarius qui cod. descripserat

1) Berichte der sächs. Gesellschaft der Wissenschaften, Philol.-histor. Classe III. 1851 p. 327—372.

2) in ind. lect. Vrat. 1860|1.

librum suum cum archetypo conferret itaque Hieronymus [1]) frequenter se librarios admonuisse narrat, ut conferrent diligentius et emendarent, quamquam id quidem ad conlationem inter scribendum, non perscripto iam opere institutam referendum videtur. sed moris erat ut alii librarii eique Latini sermonis peritiores vel grammatici hoc munus susciperent. qui si a librarii vel aetate vel loco quo cod. descripserat remotiores erant, ad alium nimirum cod. conferendum refugiebant. at qui, quod nonnunquam factum esse constat, sine exemplari pro viribus emendarunt cod. aut si quid in exemplari ipso ad conferendum proposito falsum esse eis videbatur, eorum sane, ut Reifferscheidii verbis utar, ne decipiamur commentis magnopere cavendum est. sed in universum mos praevalebat, ut codd. priusquam vulgarentur cum eisdem de quibus ipsi erant descripti eundem fere in modum conferrentur ac nostra aetate errores typographici emendantur.

III.

His praemissis iam ipsum per se veri simillimum est palimpsestum Vatic., cod. antiquissimum, eorum esse in numero qui ad exemplar sint correcti. quod re vera ita sese habere et ex tota commentatione fore ut manifesto adpareat confido et ex eis quae sequuntur rationibus certis et inlustribus, quas iam hic praecipere liceat, evincitur.

Atque primum quidem omnes librorum de rep. editores non solum innumeras emendationes leviores, sed etiam additamenta compluria ex eorum qui cod. contulere iudicio emendatori sive conlatori debita, quamquam hic illic vv. m. 2ª tradita partim iure partim temere tentata sunt, ut genuina in textum receperunt, quae si quis ex coniectura profecta esse velit, mirum sane quoddam atque divinum statuat emendatoris ingenium Aristarchis atque Bentleis multo superius. quod ne arbitratu meo ac temere dixisse videar, iam h. l. nonnulla eius generis

1) ep. 71.

exempla adferam, veluti I § 31 post *quaerit* addidit m. 2 *quo modo duo soles uisi sint non quaerit*, I § 61 vv. *quid domi pluresne praesunt negotiis tuis*, I § 63 *indicator* m. 1 *indicat nam dictator* m. 2, I § 65 *per se* m. 2 add., I § 71 *cum sis*, II § 28 vv. *ipsius discipulum an certe pythagoreum fuisse* in imo margine pag. superioris m. 2 add., II § 32 adiectum est m. 2ª inter duos versus *isq. de imperio suo exemplo pompili po(puli)*, II § 45 vv. *ipse poenam sceleris sui summam me (tui)* m. 2ª addita sunt, II § 48 *liberata iam*, II § 58 *(con) sulare imperium tr. p. sic illi contra uim.* haec sufficere puto exempla, ut emendatorem codicem cum alio libro contulisse adpareat; cetera omnia quae huc pertinent infra cc. V. et VI. in conspectu proponam.

Quid si loci inveniuntur qui eundem in modum et a librario ipso et ab emendatore correcti sint? Du Rieuus primus hanc quaestionem tetigit ac nonnulla duplicis correctionis exempla nobiscum communicavit, [1]) quae etsi suo loco (c. IV) commemorabo atque explicare studebo, tamen, cum aliquid ad rem valere videantur, facere non possum ut hic prorsus praeteream. itaque I § 10 quae omiserat m. 1 vv. *fuissem consul* [2]) inter *consul* — *autem* bis suppleta leguntur, quod ex Du Rieui sententia inde natum est quod iam olim 1ªᵉ m. correctio evanida facta aut erasa [3]) nunc per reagentia chemica simul cum altera in lucem revocata sit; eadem ratione explicat quod I § 42 vocis *sententia* bis legitur syllaba media. sed hoc sane exemplum levioris esse momenti video, alia vero ut omittam II § 31 vv. *isq. de imperio suo exemplo pompili po(pulum)*, quae a librario omissa m. 2ª suppleta esse vidimus, eadem in ima pag. leguntur addita, ni fallor, iam ab ipso librario verito, ne verba intra lineas si adscriberet parum dignoscerentur.

Sed iam gravissimum sententiae illi Heinrichii et aliorum opponam argumentum, quo prorsus conlabatur necesse est: nam

1) l. c. p. 33 sq.

2) Halm. mavult *consul essem*, quod si exstaret in cod. nemo non probaret, sed temerarium duco lectionem sanam optimeque munitam mittere.

3) eradendi sane nulla erat causa.

cum haud exigua librorum de rep. fragmenta a scriptoribus inprimis grammaticis et ecclesiasticis servata cum partes deperditas reparent tum locos palimpsesto traditos repetant, nonnulla emendatorem re vera alium codicem contulisse et genuina referre manifesto testantur. itaque I § 41 in supplemento *omnis* m. 2 cum Nonio p. 428 (s. v. urbs) conspirat itemque cum eodem p. 239 (s. v. aemulus) I § 50 in lectione *qui* p. *quid*, I § 56 m. 2 *docti in* inseruit ante *doctique*, [1]) quod idem Lactantius legisse putandus est, si quidem recte Maius locum Tullianum ei ante oculos fuisse monuit cum diceret Inst. div. 1, 11: 'regnare in caelo Jovem vulgus existimat: id et doctis pariter et indoctis persuasum est.' I § 60 m. 2^{am} genuinam lectionem *non probares* [2]) restituisse docet Non. p. 233, qui s. v. anima hunc locum exscripsit, I § 69 *quandam* m. 2^{a} additum firmatur testimonio Nonii p. 109 (s. v. firmitudo). leviora videntur quod correctura *consilii* p. *consilio* I § 8 etiam a Nonio p. 477 exhibetur itemque I § 70 *habenda* p. *habendum* et *cumulate munus* p. *cumulatae minus* a Nonio p. 244 et Arusiano Messio p. 212 Lind. maioris autem momenti de l. II § 9 Servii est testimonium [3]) (ad Aen. XII, 335), quo vv. *thraciam italiam siciliam africam praeter unam magnesiam* ex cod. petita esse comprobatur, II § 16 emendationem *multaeq. dictione* p. *multaq. d.* Non. p. 42 et Isidor. Origg. X § 155 testantur itemque Augustinus de civ. dei XXII, 6 leviores correcturas *ut* p. *et*, *esset* p. *esse*, *errore* p. *errores* et supplementum *annis* II § 19, eiusdem libri § 69 emendatio *inmutatum* p. *inmutantem* ab August. l. c. II, 21 adfirmatur eodemque loco *illud* m. 2^{a} additum II § 70 et *posse set hoc* manifesta emendatio p. *posset hoc*. denique III § 26 testimonium Nonii p. 19 (s. v. vafrum) emendationem *vafri* p. *veri* manifestat.

Apage igitur istam sententiam Niebuhrio quidem, Ritschelio, aliis, quippe qui non nisi in uno alterove loco tractando versati falsi sint, condonandam, minime vero ipsi operis Tulliani editori Heinrichio, viro ceteroquin haud mediocris sagacitatis.

1) cf. Addenda.
2) cf. Addenda.
3) cf. Addenda.

Alium autem eumque meliorem librum ut statuamus ex quo m. 2 cod. correxerit nullam esse causam consentaneum videtur, si quidem non eam esse differentiam manum 1^{am} inter et 2^{am} adparebit quae ex uno eodemque cod. archetypo repeti nequeat. quocirca operae pretium erit quibus locis opus videbitur corruptelae causam indicare. quodsi cum ipso archetypo hunc cod. Vaticanum conlatum esse concessum est, sequitur ut haud longo inter se distare temporis spatio librarium et correctorem statuamus. etenim uno pluribusve saeculis interiectis corrector exemplar archetypum quod conferret haud nactus esset. quod idem ex usitata qua codd. correctos esse cognovimus ratione efficitur. denique scripturae habitus sententiae nostrae minime refragatur, immo emendd. eadem qua cod. ipse exaratae sunt scriptura unciali, nisi quod pro rei indole litt. minores ac tenuiores sunt.

IV.

Iam quaeritur quaenam conlatori tribuenda sit auctoritas. atque eorum quidem qui hanc quaestionem gravissimam tetigerunt iam supra commemorata sunt atque recensita iudicia. nobis priusquam in hanc rem inquiramus monendum videtur iam librarium ipsum quaedam correxisse, qua de re iam supra nonnihil anticipavimus, nec minus 3^{ae} manus in palimpsesto esse vestigia.

Prae ceteris igitur statuendum est librarium imitatione potius effinxisse literas, quam verba intellectu comprehendisse. quod cum per se veri simile est tum perlucide adparet ex scriptura nulla in pag. mendis non scatente, veluti I § 1 scripsit *umdi|set* p. *undis|et*, quem in modum falso dissecta vocabula sescenties occurunt, [1]) § 2 *positaet* p. *positast*, *consuis* p. *consilis*, § 3 *cuiusquid* p. *ciuis qui id*, idem vitium § 5 et § 45, § 6 *ocl* p. *uel*, § 7 *lu* p. *cum*, § 8 *retamqu|illum* p. *et tranquil|*

1) quamquam id quidem mori qui non solum in inscriptionibus, sed etiam in veterioribus codd. litt. uncialibus exaratis obtinebat tribuendum videtur.

lum, § 9 *rias* p. *iniurias*, § 11 *necessitata* p. — *tate*, qualia saepissime obviam sunt ut § 12 *paena* p. *paene*, § 13 *rutilioorumfo* p. *rutilio rufo.* hinc satis elucet, non graviores librarium fecisse emendationes quam ut vitia ab ipso commissa inter scribendum, ut videtur, ex cod. correxerit. quod igitur Du Rieu. dicit: 'facile adducor ut quas literas erasas viderim 1ae m. habeatur emendatio', id ne credas etiam de eis locis valere quibus vocabula falso dissecta erasis literis inepto loco positis restituta sunt, sed valere veri simile est de locis his: I § 6 *a : halae*, ubi Du R. erasae lit. *i* vestigia invenisse sibi videtur, § 9 *qu : asi* erasa lit. *i*, § 17 in voce *p : ile* non *h*, sed *l* erasam esse testis est Detlefsenius, idem § 26 in voce *adf : ixi* lit. *l*, quam Du R. cernere non potuit, erasam esse testatur, I § 28 *arbitr : o* lit. *i* erasa, § 32 falso librarius lit. *e* erasit in *sci : mus*, sed nimirum oculis deceptus ad insequens vb. *scimus* aberravit, fortasse quia utrumque verbum in fine versus scriptum erat in cod. archetypo. § 68 a m. 2a exstare *e* p. *ex* Maius adnotat, contra Du R. dicit: 'fortasse m. 1 eraserat *x*, quae postea invito scriptore in lucem rediit;' mihi quidem, cum lit. *x* erasam esse non adpareat, in praepositione *ex* adquiescendum videtur, non quod Mosero adsentiar hac forma significari monenti aliquid ex intima alicuius rei natura exire, vel Osanno praecipienti formam *e* a Ciceronis aequaliumque consuetudine plane abhorrere, immo vero uterque inepte hariolari videtur. II § 2 post *fuisset* vestigia duarum litt. cernuntur quae erasae sunt, § 3 *populiririginem*: falsa repetitione cognita prior *r* erasa est et ex sequenti *i* facta *o*; quae correctio omnino sana si librario ipsi debetur, neque ea de re Du R. dubitasse videtur, cum litt. erasas librario sese tribuere diceret, coniectura eius *populi R.* (i. e. Romani) *originem*' licet speciosa sit, reicienda videtur, cum non solum praeter necessitatem — namque universo loci tenore de populo Romano agitur —, sed etiam contra librarii fidem sit inventa, quem sane vitia sua ipsius neglegentia commissa, minime vero quae in cod. archetypo repperiset correxisse vel etiam corrigere voluisse cognovimus porroque videbimus. II § 18 *errores* et § 52 *reges* erasis litt. *s*, § 53 *neue|uerberaret* erasa priore syllaba *ue* eademque ineunti versui posteriori superaddita, nimirum sive librarius sive conlator,

nam utrique tribui licet, falsa dittographiae suspicione ductus *ue* erasit, sed inspecto archetypo errorem cognitum correxit; bis additam esse syll. *ue*, quod Du R. statuit, [1]) non patet ex eiusdem conlatione huius l. [2]) § 67 in vocula *eis* iam olim erasam esse *e* testis est Du R., quidni igitur formam *is* e. c. etiam I § 1 et § 50 usurpatam Ciceroni restituimus?

Duplicis correctionis iam supra [3]) nonnulla adtuli exempla, cetera haec sunt: I § 65 in *potuerunt* *o* superscripta est litt. *nt* deletis, quamquam iam praecedens *u* in *o* mutata erat, II § 26 a m. 1a exstiterat *patrici|nio* primae *i* superscripta lit. *o*, deinde m. 2a litt *nio* expunctae sunt et quae in superiori versu restabant in *patrocinio* mutata, II § 30 *non* extra versum add. iterumque in sequenti versu supra linea, II § 52 *amplissimũ ã r. p.* deleta *ũ*, cui superaddita est *a*. hoc Du R. omisit exemplum, contra alia falso vel certe sine causa idonea huc rettulisse videtur, haec dico: II § 2 ex *qui* factum esse *quRũ* (*o* superscr.), quod tum ita erasisse correctorem, ut *qui* nunc restet Du R. adnotat, quamquam litt. erasas librario sese tribuere professus est; sed sive librarius sive corrector falso *qui* in *quorum* mutavit, [4]) nonne eundum libro inspecto cognitoque errore genuinam scripturam restituisse veri simile est? quod tum Du R. adfert exemplum [5]) II § 52 *cane|rereges* (*re* superscr., ..) erasa *s* id iam paucis pagg. post [6]) ipse missum facit, cum conlatori soli emendationem tribuit. [7]) denique II § 53 *neue|uerberaret* huc non pertinere iam supra dixi.

In eis autem locis quos duplicis esse correctionis cognovimus re vera etiam 1ae m. inesse emendationes hinc iure conligere mihi videor, quia bis eundem idem correxisse parum veri simile est nec minus quin 3ae m. illis locis statuamus emendationes Du Rieui testimoniis prohibemur.

1) l. c. p. 34.
2) l. c. p. 108.
3) p. 7.
4) qua de re cf. Addenda.
5) l. c. p. 34.
6) l. c p. 47.
7) cf. Addenda

Sed etiam aliae librarii sese nobis offerunt emendationes, velut loco conclamato I § 1 sic tradito 'omitto innumerabilis viros, quorum singuli saluti huic civitati fuerunt et qui sunt procul ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur' teste Du Rieuo m. 1 in eo erat ut scriberet *quia*, sed ex *a* statim fecit *s*. quamquam Halm. itemque Bait. *quia*, quod procul dubio in cod. archetypo non exstitit, receperunt addito ex Mai coniectura *haut* ante *procul*. sed ne sic quidem sententiae satisfactum esse clarum est: nam quid aliud Cicero diceret nisi eos iam commemorare sese desinere quorum nondum quemquam nominatum esse videmus! neque etiam ceterae dd. vv. coniecturae, quas vide apud Osannum, loco huic videlicet corrupto medentur praeter Handii [1]) suspicionem alteram sententiae partem qua de aequalibus viris expositum esset excidisse. sic et omnia bene quadrant ad sententiam et praeter lacunam verba palimpsesti integra remanent. I § 4 in scriptura *neque tai solum* quid sibi velit illud *tai* facile est perspectu, modo meminerimus saepissime librariorum oculos a propositis litt. ad vicinas aberrasse, quod idem h. l. sine dubio statuendum videtur, sc. librarium oculis delapsum esse ad seq. *tantis*, sed iam tertia lit. incohata errorem perspexisse literasque male praesumptas delevisse. qua ratione simplicissima prohibemur quominus ad conjj. improbabiles refugiamus, quales Mai. [2]) Moser. [3]) Krarup. [4]) Franck. [5]) Orell. [6]) in medium protulere. difficiliorem explicandi illius mendi rationem iniit Hauptius [7]) suspicatus *tat* i e. 'tantum' in cod. exstare, quod librarium deceptum sequenti voce *tantis* loco ad-

1) Tursell. vol. IV. p. 593.

2) 'neque ita solum'.

3) 'neque tantis solum in rebus'.

4) 'neque tali s. i r'. (Observationum crit. in libros Cic. de rep. specim. I et II Havniae 1826).

5) 'neque futile sol. in tantis r.' (Verisimilium specim. Flensburgi 1828)

6) 'neque tamen s. i. t. r'.

7) in philol. vol 1 p. 388. — pro dolor! haec dum scribo virum praeclarum vita defunctum esse audio.

verbii synonymi 'solum' scribere incepisse, mox vero errorem correxisse; sed quamquam vocem synonymam non uno loco corcuptelae causam fuisse infra docebo, [1]) tamen non *tat*, sed *tai* testibus Maio et Du Rieuo in cod. exstat, tum vero ea quam ego indicavi ratio erroris explicandi multo videtur esse simplicior et probabilior, ut vel mirer Hauptium eam fugisse. [2]) I § 8 *cummodis* scriptum erat, sed iam m. 1 ex *u* fecit *o* teste Du Rieuo. I § 42 *uni* m. 1^{am} addidisse Du R. testatur nempe externa scripturae specie commotus, quamquam alio loco [3]) expresse dicit: 'argumenta diplomatica, quae audiunt quibus aliquid superstruas cod. me quidem iudice non adfert,' spectant vero ea verba ad quaestionem de 1^{a} 2^{a} que m., quam iure intricatiorem esse dicit. I § 11 librarius de verbis *necessitate premente*, quae iam scripserat, aberravit ad praegressa *si necessitate cogantur*, itaque *cogantur* verbo *premente*, quod certo deletum voluit, [4]) superaddidit, tum porro scripsit *cum ... necessitate*, sed in hac voce substitit, neque enim iterum sequitur *premente* sed *remp.*: iam igitur quae falso repetita erant expunxit ita ut iusto ordine *nec. prem. remp.* sese exciperent. praeterea eius generis exempla haec repperi: I § 15 exstat *sole quod quod sole* deletis duobus ult. vocabulis, § 19 *ex me scipio ex me*, ubi Du R. alterum *ex me* lineolis deletum esse testatur, eademque § *omnisque avidae omnis*, ubi litt. *ae*, quae tum deletae sunt nescio an ex insequenti *sapientiae* huc irrepserint, § 49 *sit civilis sit* alt. *sit* exp., § 52 librarius ab *est ipse* ad vv. superiora *ipse nulli cupiditati* aberravit, itaque inter *est* et *ipse* irrepserunt vv. *in ulla cupiditati* sensu omnino carentia, quae non ita corrigere debebant Heinr. et Os. ut conicerent *sine ulla cupiditate*, sed omnino eicienda erant, ut iam Mai. recte fecit, idemque Hauptius statuit l. c. ceterum Maio verba

1) cf. Addenda.

2) ceterum eandem quae mihi in mentem venit mendi explicandi rationem video iam Du Rieuum probavisse l. c. p. 32.

3) l. c. p. 13.

4) ac fort. etiam delevit, cum nunc puncta sive lineolae tenuissimo trans litt. ductae atramento facillimeque aqua deletae evanidae sint, qua de re scite egit Du R. l. c. p. 11. sq.

illa expuncta esse videbantur, cum Du R. solummodo litt. *ul* expunctas viderit, sed sane cetera puncta evanuere. § 55 perversa exstat scriptura *charetaere* deleta *h*, sed puto etiam litt. *eta* (vel *tae*) deletas fuisse, etenim librarius, posteaquam ad *caritate* quod sequitur aberravit, ipse sine dubio errorem cognovit atque correxit, quippe qui scripturam male praesumptam non continuarit. § 60 post *animo* mendose librarius scripserat *nihilitaoanimoa*, sed omnes litt. deletae sunt, quod autem Maehlyus [1]) dubius haerens utrum quae sequuntur vv. in cod. exstent an ex conj. profecta sint *nihil isto homine* legi vult, ea de re ex Mai ed. certior factus suum commentum mittere potuit. II § 14 in scriptura *insabiqueno* vocula *que* ni fallor de antecedenti *populumque* repetita, sed tum expuncta est; idem error obviam est § 35, ubi haec exstant *imperio legem tulit principio legem tulit duplicauit*; etiam § 38 in scriptura *coiuium* del. *o* iam 1ae m. inesse puto emendationem, quae nescio an incohata falsa praegressae vocis *concessu* repetitione inter scribendum cognitum lapsum correxerit. neque igitur archaismi forma illa prae se fert colorem, ut Mai. suspicatus est, neque antiquae scripturae *ceivium*, ut Osann. voluit, est vestigium. § 60 post. vv. *annis post* male praesumpsit librarius *res multis dicedist* (p. *discendis*), quae tum ipse, ut videtur, expunxit. denique § 71 in exaranda voce *diem* ad praegressam *disputandi* aberravit, tum vero errore cognito *diem* reposuit.

His emendationibus, quarum aliae aperte, aliae probabiliter 1ae m. tribuendae esse videntur, aliae addi possunt quas 1ae m. deberi haud inepte coniciatur, sed sane ea coniciendi ratio non solum difficillima est, sed etiam admodum lubrica. quocirca, quamvis haud spernendum quaestioni nostrae accederet momentum, si haec illave emendatio iam ipsi librario vindicaretur, tamen potius mihi videtur esse omnes praeter eas quas librarii esse cognovimus emendationes et his quos iam proponam locis exceptis, qui ab eis qui palimpsestum contulere 3a m. mutati esse dicuntur, conlatori nostro tribuere.

Recentioris igitur sive 3ae manus paucissimae non tam

1) Zeitschrift für das Gymnasial-Wesen 1867 p. 811.

emendationes quam interpolationes codici inlatae esse videntur. Du Rieu. enim et Detlefsen. — nam Mai. quidem 3am m. omnino non cognovisse videtur — hos solummodo commemorant locos: I § 13 post *praetermissum* m. 3 add. *puto*, quod ipsum per se sane periodum mancam recte supplere videtur itaque priusquam Du Rieui schedae publici iuris factae sunt ab omnibus editoribus est receptum, sed licet fortasse in archetypo exstiterit, tamen, cum reliquas 3ae m. scripturas meras esse interpolationes adpareat, etiam haec non gravior aestimanda est quam nostrum cuiusvis coniectura. nescio igitur an praeferendum sit quod Bait. post *pertineret* inseruit *est*, minus placet Halmii conj. *praetermissumst*. I § 58 post *videsne* in marg. m. 3 add. *excluso tarquinio:* ineptum hoc esse glossema luce clarius est. II § 16 post *plurimum* sup. lin. m. 3 add. *accedo* teste Detlefsenio, qua de re nec Mai. nec Du R. quidquam monuit; ni fallor voce ista superaddita comprobare quidam voluit quod 'auspiciis plurimum obsecutus est Romulus,' ut Cic. Scipionem facit dicentem. [1]) denique m. 3 II § 48 vocem *invisius* in summa pag. iteravit, tametsi recte suo loco in textu exstat; cuius rei causa latet, nisi formam illam comparativi lectori insolentem ideoque notandam visam esse cum Du Rieuo suspicamur.

Etiam aliis locis m. 3am cod. interpolavisse veri simile est, sed externa quidem scripturae specie cum quattuor quos adtuli loci soli secundum conlatorum testimonia ad illam referendi sint, quae de aliis 3ae m. interpolationibus suspicari velimus coniectura, licet non improbabilis sit, tamen incerta niti videntur. quod idem de 1ae m. emendationibus valere iam supra dixi. neque etiam ex diversis delendi rationibus sc. expungendi, lineolae trans literam ducendae, eradendi conligi quidquam posse mihi videtur, cum et librarium ipsum et correctorem nulla non usum esse iam ex eis quae adhuc adtuli exemplis satis adpareat. sed hoc sane crediderim quas literas expunctas simulque lineolis deletas esse dd. vv. qui cod. contulerunt testantur eas et manum 1am et 2am delevisse.

1) cf. Addenda.

V.

Sed iam ad manus secundae, quae dicitur, emendationes adgredienti prae ceteris eae recensendae mihi videntur quae manifesto codici archetypo, ad cuius exemplar conlator cod. Vaticanum correxit, debentur et quas in textum, qui vocatur, recipere nemo editorum dubitavit neque alius quisquam in dubitationem vocavit. cuius generis eos inprimis esse locos consentaneum videtur quibus lacunas maiores minoresve, quas haud raro in hoc cod. occurrere notum est, conlator recte supplevit.

I § 1 ante *marcellus* supra linea *m̄* add., similiter § 3 *ui* ante *culis*, § 9 *iniu* literis *rias* adiunxit, *parcant* omissum addidit, § 10 *consul fuissem* bis suppletum est, qua de correctione duplici iam supra dixi, 1) § 11 *quodidi|cerunt* corr. in *quod nec didi|cerunt*, nempe librarius a pr. *d* ad alteram aberraverat, § 14 *q.* supra linea add. ante *tuuero* simulque alteri *u* deletae *b* superaddidit, § 21 *marcell|us* corr. in *marcelli|anus*, § 22 *metam* add., § 23 *ed* (sic p. *et*) ante *ipse* additum est, quod ex archetypo desumptum esse iam ipsa scriptura docet a correctore grammaticae haud rudi, quem statuamus necesse est (cfr. inprimis c. VII.), nimirum aliena; hinc igitur patet, quod multis aliis locis comprobatur, conlatorem nostrum etiam minutulas voculas de archetypo addidisse nec tam sententiae eorum quae legit atque contulit rationem habuisse quam ut secundum exemplar propositum diligenter hunc cod. emendaret. § 25 alterum *intermenstruo* m. 2 add., sed una quod antecessit *certo* eam expunxisse Du R. testatur, itaque recentiores edd. hanc vocem, quae videlicet ex praegressis vv. *certo illut tempore fieri* huc irrepsit, e contextu removerunt. § 25 *humexitum* corr. in *humanum exitum*, § 26 *noxegiucius* in *nos in exigua eius*, § 27 complevit vocem *lege*, cuius solae litt. *ge* exstiterant, § 28 verbis *quantum illum* deletis litt. *nium* et superscripta *m* add. *qui*, § 31 *putem* sup. lin. add. ante *querenda*, tum post *quaerit* add. *quo modo duo soles nisi sint non quaerit*, § 32 inter *quam* et *si* sup. lin. *ob rem* inseruit, *ui* ob similem voculam *ut*

1) p. 7.

praegressam facillime omissum adiunxit litt. *sius*, quarum forte alteram delevit, 1) certe deletam voluit, § 33 post *de* add. *inde*, § 34 *ad* omissum ante *prouauissent* add. simulque eodem ex fonte literae *u* deletae *b* superaddidisse correctorem consentaneum videtur, nisi forte iam in arch. *b* in *u* abierat; errant igitur qui omnes emendationes quae ad orthographiam pertinent ex ingenio correctoris fluxisse censent, § 38 *qua* post *de* inseruit, § 41 *omnis* supplevit, quod cum per se genuinum est tum Nonii (p. 429) testimonio comprobatur, § 42 *pes* corr. in *penes*, § 43 post *quaedam* add. *seruitutis si athenienses quibusdam*, § 51 *id* ante *faciet* add. m. 2, quod non requisiisset, nisi in archetypo invenisset, *summi* ante *virtute* add., denique mutilae voci *optim* adiunxit terminationem *atium*, § 54 in vocibus *ipsum per se* teste Detlefsenio litt. *erse* in extremo versu alio atramento et ab alia manu scriptae sunt, § 56 *inquid* ante *laelius* add., hoc loco probatur quod ad § 23 monui, hac eadem § *mente* superadd. m. 2 voci *exile*, cuius litt. *e* et *il* deletas esse vidit Du R., sed non dubito quin tota vox deleta fuerit, quam suspicor ex sequentibus, quae tamen perierunt, praesumptam fuisse. § 58 *istos* add. ante *inquid*, § 60 *terent* corr. in *tenerent* § 61 m. 1 haec praebet: *nilituis|immo uero|unus inquit*, quam scripturam m. 2 ita restituit, ut *tuis* expungeret, *immo uero* lineolis deleret et lacunam sic expleret: *eo quid domi pluresne praesunt negotiis tuis immo uero*, sed literas *sunt negotiis tuis* propter Augustini verba superscripta fere omnes evanuisse Du R. testatur. § 63 *indicator* m. 1 — *indicat nam dictator* m. 2, *libris* ante *uides* add., § 65 *uult per se*, non tria haec vocabula, ut Halm. adnotat, sed duo ultima teste Du Rieuo m. 2 add., *tan* praeposuit literis *tam*, mox *non* sup. lin. add., tum *sed* inseruit ante *conabor*, § 66 literis *quiuato* superadd. *apri*, *illaatio* corr. in *illa factio*, § 69 *quandam* m. 2 add., quod idem praebet Non. p. 109, in eadem § *nos* m. 1 — *non est* m. 2, 2) § 70 *simul* add., § 71 post *institutis* m. 1 om. *cum sis*, quae m. 2 add.

1) v. p. 13 adnot. 4.

2) hanc emend. Halm. in notis omisit.

II § 3 *autem* add. m. 2, *multaplatonem* m. 1 — *ut aput platonem* m. 2, § 9 *quod* ante *ubique* add. m. 2, § 10 supra *uictumque* add. *cultum*, § 14 *pacis* add., *tanti nomet* m. 1 — *tati nomine et* m. 2, § 16 *principum* m. 1—*quod principium* m. 2, § 19 voci *ante* sup. lin. praeposuit *annis*, quod etiam Augustini (de civit. dei XXII, 16) testimonio adfirmatur, § 22 *ipsetpearias* m. 1—*ipse repperias* m. 2, § 24 *qui nō redigendum* m. 1—*qui regem nō diligendum* m. 2; Halm. salva ceteroquin m. 2ae emendatione mavult *non regem dilegendum*, sed iure hanc coniecturam in margine cohibuit, cum m. 1ae scripturae quamquam probe respondet, tamen conlocationem verborum perversam reddat, sed illa emendatio sine dubio de archetypo est desumpta. § 28 post *pythagoraene* m. 2 add. *ipsius discipulum an certe pythagoreum fuisse* in extrema pag., et, si Detlefsenio, ut par est, fidem habemus, m. 1 non nisi litt. *pythagoraen* exhibet. particulam *ne*, quam iam Mai. delendam esse cognovit, in sententia interrogativa falso repeti post *uerene* satis docuit Madvigius ad Cic. de finn. p. 320, sed videlicet non ex coniectura correctoris fluxit (quod Mai. falso statuisse videtur, quamquam non diserte dixit), cum non solum iam m. 1 lit. *n* praebeat, sed etiam quae sequuntur omnia manifesto de cod. addita sint; facillime vero hoc mendum explicatur bis antecedente eadem syllaba *ne.* quod sequitur *an* [1]) recte Krarup. in *aut* mutavit, neque enim hoc in discrimine est, utrum Pythagorae discipulus an Pythagoreus fuerit Numa, sed in universum fueritne Pythagorae discipulus aut certe Pythagoreus quaeritur. utriusque autem mendi causa quin archetypo tribuenda sit dubitari nequit. in eadem § *natumaudibus* m. 2 corr. in *natu audiuimus*, § 30 de particula *non* bis addita iam supra [2]) dixi, § 31 *interrogante* m. 1—*interrege rogante* m. 2, in ead. § vv. *isq. de imperio suo exemplo pompili po(puli)* bis addita leguntur, [3]) tum *tribuendam esse* m. 1—*tribuenda quaedam esse* m. 2, § 35 *omnisscipopis* del. altera *s* et priore *p*, add. sup. lin. *uis*, § 38 in scriptura *deip|se* teste Detlefsenio *ip* postea additum est, praeterea *se* sup. lin. in-

1) cuius suscepit patrocinium Weissenborn. l. c.

2) p. 11.

3) cf. p. 7.

sertum. § 40 cod. 1a m. haec exhibet: *mille centum aeris*, et secundum Mai testimonium mox superaddita est lit. *d*, i. e. factum 'quingentum', cuius rei nulla habita ratione Huschkium [1]) lectionem m. 1ae falso servasse recte monet Goettlingius [2]); contra Du R. nullum istius lit. vestigium se vidisse testatur, sed p. g. esse obscuriorem. [3]) at in Detlefsenii apographo sunt inter *le* et *centum* hi ductus sup. lin. ////, quibus addito *centum* iustus numerus D expleri videtur. Madvigii conj. *mille quingentos aeris* eo minus dubito recipere, quia numeros in archetypo signis fuisse expressos veri simile videtur, facilius enim librarium de signo MD quam de nomine numerali in istum errorem aberrasse consentanenm est ceterum numerum MD tuetur Gell. N.A. XVI, 10. in ead. § voci *liticinib.* m. 2 superadd. *corni* ////, neque igitur *liticinib.* expunctum neque *cornici* superscriptum est, ut Maio videbatur, et qui additi sunt ductus nihil aliud significare videntur nisi ad eandem vocem referendam esse terminationem vocis *liticinib.* [4]) § 42 *exposita* m. 1—*exposui ita* m. 2, § 45 post *metueret* add. m. 2 *ipse poenam sceleris sui summam me(tui)*, § 53 *cognis* m. 1—*cognationis* m. 2, § 54 m. 2 vocem *magistratus* explevit, cuius duae priores solummodo litt. exstiterant, § 56 post *omnia* add. *summa*, § 57 *idem teneto* m. 1—*id enim tenetote* m. 2, § 59 *solē* m. 1—*solonē* m. 2, § 70 ante *esse* m. 2 add. *illud*, quod idem Augustin. de civit. dei II, 21 tradit quamquam verbo *esse* postpositum.

III § 3 voci *inmultabilis* (p. *inmutabilis*) sup. lin. m. 2 add. *una*, § 5 *hanc* add. post *etiam*, § 7 *aut edem* m. 1—*aut eiusdem* m. 2, § 15 *biris* m. 1—*busiris* m. 2.

IV § 4 syllabae *ri*, qua incipit huius § fragmentum, superadd. m. 2 *nudari*. quam vocem cum plenam vix scripturus fuisset corrector, si syllabam *ri* ad eam pertinentem invenisset, contra Halm. et Bait. cum ceteris edd. sribendum est ***ri nudari*,

1) Die Verfassung des Servius Tullius (Heidelberg 1838) p. 197.

2) Gesch. der röm. Staatsverfassung (Halle 1840) p. 250.

3) idem statuit Mommsen. in diar. antiq. stud. 1845 p. 786.

4) monendum videtur quod Huschk. l. c. p. 159 Mai testimonium 'cod. *liticinib.*, tum *litici* videtur deletum et certe superpositum est *cornici*' falso interpretatus et *litici* bis in cod. exstare ratus, librarium vero oculis deceptum alterum falso delevisse prioris loco transponendum iudicavit *cornicinib. liticinib.*

*

quamquam ad infinit. verbi pass. syllabam istam referre minime opus est, itaque comma ab edd. interpositum ut in re dubia delendum videtur.

Perlustratis his supplementis, quae ne quis sana mente de suo penu correctorem prompsisse censeat minime verendum est, transeamus ad ceteras emendationes, quae ipsae quoque difficiliores esse videntur quam ut correctoris ingenio tribui possint.

I § 3 *cuiusquid* m. 1—*ciuis qui id* m. 2, § 7 *lu* ante *liceret* m. 2 corr. in *cum*, § 22 *ornatam* m. 1—*tornatam* m. 2, in ead. § *thleta* m. 1—*thalete* m. 2, § 30 *quam pilum* m. 1—*aut pilum* m. 2, videlicet *tam* praegressum mendi causa fuit, in ead. § exstat *manlum* add. *i* ante *l*, quae praeterea deest *i*, si quidem in archetypo exstiterat, etiam correctorem fugit. § 31 *inuidisscipiis initionis* prima *s* del., *on*, quae litt. sine dubio suo loco superscriptae erant, iam non adparent propter Augustini scripturam superinductam. § 53 *aequeque appellabitur* m. 1—*eaque quae appellatur* m. 2, § 56 lit. *a* praeposita m. 2ª *aratum* effecit, § 58 *graecos* m. 1—*graios* m. 2, § 60 *inquit* m. 1—*igitur* m. 2, mendum commissum a librario s. ad praegress. s. ad sq. *inquit* oculis delapso. § 61 *est omnium in pluribus* voce *omnium* exp., non est in vicinia verborum unde haec irrepserit neque sub ea latet quod Moser. languide et otiose coniecit *omnino* nec magis pro librarii interpolatione haberi debet, sed puto iam in archetypi margine glossema illud exstitit atque illinc a librario in contextum verborum receptum est. in ead. § voci *formano* m 2 *i* superadd., § 65 *potuerunt* bis corr. est in *potuero*.

II § 1 *congraues* m. 1—*congruens* m. 2, § 4 *ut bene*, exp. *ut*, ne hoc quidem de coniectura correctum esse puto, namque alterum *ut* potius quam prius corrector removisset, si suum secutus esset arbitrium. § 7 *excurrant* m. 1—*exulant* m. 2 teste Du Rieuo; Mai testimonio *excurlant* usi editores antea *excurrunt* aut *excursant* praebuerunt, nunc vero liquet. correctorem autem ne statuamus emendationem istam de suo ingenio petiisse iam eo ipso vetamur, quod vel viris doctissimis nostrae aetatis, qui in hoc loco corrigendo desudarunt, ut talem aliquam excogitarent

coniecturam non contigit. § 12 *conuenit* m. 1—*confecit* m. 2, hanc eandem lectionem, quam ipse in cod. non invenisse videtur, Mai proposuit, exstare eam in cod. Du R. vidit, non item Detlefs. § 15 *ciuisiusque*, sed fort. iam librarius exp., postquam falso *ciuis* p. *cuius* se scripsisse cognovit. § 22 *aut aput* priori voculae superaddita *p* et altera deleta; hinc elucet correctorem verbum cum verbo contulisse, quod ni h. l. fecisset, non *aut* in *aput* mutasset, sed facilius delevisset, ut *aput* evaderet. § 25 *fumatfrret* m. 1—*fama ferret* m. 2, § 27 *confirmatus* vix quidquam offensionis praebuisset correctori nostro, ut in *confirmatis* de conj. corrigeret, nec magis § 28 *factum* ut bis in *fictum* corrigeret in ead. § *lucilio* m. 1—*lucio* m. 2, § 31 *sempsit de manib.* m. 1—*saepsit de manubis* m. 2, quam correctionem minime emendatoris ingenio deberi vix est quod moneam et ipsa iam docet terminatio—*is*, quam ille arbitratu suo non uno loco in recentiorem—*iis* mutavit. quocirca ipsum Halmium formam *manubis* recentiore commutasse admodum miror, quippe qui vetustioris scribendi rationis diligenter ceteroquin habuerit rationem itaque c. c. I § 68 *praesidis*, § 69 *uitis* scripserit et iure quidem, cum m. 2 praebeat *praesidiis*, *uitiis*. § 49 *estperius* m. 1—*et spurius* m. 2, mox *maecius* m. 1—*maelius* m. 2, § 51 *praescripsit* m. 1 - *perscripsit* m. 2, in ead. § vitiose scriptum est *peripeatcto*, quod cum Mai. in *peripatetico* m. 2ª correctum esse testatus sit, Du R. negat. at enim adduci nullo modo possum ut peripateticum dixisse Ciceronem sive Socratem sive Platonem credam, quare nescio an Bernaysii [1]) coniectura probanda sit ingeniose excogitata *tripertito illo in sermone*, et hoc quidem nomine tres illos dialogos Politiam, Timaeum, Critiam significari vult iam ab ipso Platone in trilogiae formam redactos. § 52 haec exstant: *cane|rereges.* erasa *s* et *re* literis *ne* superadd., quam emendationem inter scribendum vix nasci potuisse existimo, nisi quod hoc sane fieri potuit, ut librarius falsa dittographiae suspicione ductus alteram syll. *re* falso expungeret; quamquam idem, ni fallor, conlatori accidere potuit. quod autem syll. *ne* non deletam vidit Du R., id nescio an atra-

1) Herm. vol III (1869) p. 315 sq.

mento evanido tribuendum sit. § 53 *edes* m. 1—*aedis* m. 2, quam emendationem non correctoris ingenio, sed archetypo deberi ipsa vocis terminatio docet, quam ut insolentem c. c. I § 25 in recentiorem mutavit. [1]) § 56 *proditis* m. 1—*praeditis* m. 2, similiter § 51 *perscripsit* in *praescripsit* abiit, unde iure quis coniciat praefixa illa in cod. arch. compendiis scripta fuisse. § 10 *p. turpeius* m. 1—*sp. tarp.* m. 2, § 69 *inmutantem* lit. *e* in *u* mutata (fort. inter scribendum), etiam *n* expunctam fuisse veri simile est.

III § 7 *aridus* m. 1—*artibus* m. 2, § 15 *lacaedemonii nos* m. 1—*l. suos* m. 2, § 19 *tribuemuelbis* m. 1—*tribuemus beluis* m. 2, similiter § 45 m. 1 scripsit *uelbast*, ubi num recte Du Rieu. viderit signa ad delendas litt. *u* el *lb* adscripta dubito, fort. metathesis signa latent, § 26 *ueri* m. 1—*uafri* m. 2.

Iam quaeritur quid de levioribus emendationibus manifestis statuendum sit, utrum ex ingenio correctoris an ex archetypi conlatione profectae esse putandae sint. hoc quidem satis docuisse nobis videmur correctorem nostrum contulisse archetypum atque bonam partem emendationum earum de quibus ambigi omnino nequeat inde sumpsisse. nonne igitur iam ob id ipsum veri simile videtur de levioribus emendationibus non aliter rem sese habere, nisi quas certis de causis correctoris ingenio vindicare debeamus? earum vero in numero perpaucas esse postea (c. VII) videbimus. ac re vera consentaneum videtur correctorem proposito archetypo nihil antiquius habuisse, quam ut hanc ad normam quam diligentissime codicem emendaret eundem in modum ac si quis nostra aetate librum typis exaratum cum exemplari manuscripto ad emendandos errores conferat. id sane interest quod illius aetatis archetypi, nisi cum ipse auctor recognosceret, ne ipsi quidem mendis carebant itaque conlatoris ingenio locus erat corrigendi si quid iam in archetypo ipso mendose scriptum esse ei videbatur. atque nostrum quidem correctorem in emendandis archetypi mendis quae sibi viderentur sententiae singulorum locorum adsequendae nullam fere habuisse

1) cf. Addenda.

rationem cum non uno eorum quos adhuc tractavimus locor. adparuit, [1]) tum eos perlustranti locos (c. VIII) quos ipsius archetypi auctoritate ductus corrector in peius mutavit haud dubium videbitur, tum etiam hinc patet quod permulti exstant loci manifesto corrupti quos ille omnino non tentavit. quod licet ex parte neglegentiae correctoris, qua hic illic archetypum inspicere vel conferre omiserit, tribuas, nonne id ipsum gravissimo videtur esse argumento non illud eum egisse, ut sententiam eorum quae legit adsequeretur?

E. c. I § 13 in voce *liberos* p. *libros* non offendit, § 14 *libenter* integrum reliquit p. *libente*, § 18 *an* p. *aut*, § 20 *excello* p. *excellis*, § 22 *quod* p. *quot*, in ead. § *et in caelo sphaera* p. *et in caelo et in sphaera*, § 26 *quid uiderit* p. *qui uiderit*, § 27 *ciuili sexo* p. *ciu. nexo*, § 28 haec exstant: *cum istam sphaeram nihil cum agere uideretur de qua modo dicebatur effecerit*, qua in sententia vv. *de qua modo dicebatur* certe post *sphaeram* conlocare debebat, licet interpolata esse non potuerit cognoscere, in ead. § *solodeos* p. *solos eos*, § 30 in verbis *erat illa de ifigenia achilles* non offendit, nec magis in *obseruationis* p. *obseruat iouis*, § 35 *consumserint* exstat p. —*im*, § 38 *commodis* p. *quot modis*, § 42 *adiectis* p. *aut delectis*, § 44 *triginta* p. *tr. virorum*, § 50 *cum bonis uteretur cet.* p. *ut b. u.* [2]), § 52 *firmitatem* p. *infirmitatem*, § 57 in verbis *ut ait totum olympum homerus* non offendit, § 60 *regales* p. *regale si*, § 61 *quasi* p. *quaeso*, § 62 *adsentiar* p. *adsentiare*, § 69 vv. *esse aliud auctoritate principum partium ac tributum* integra reliquit [3]), in ead. § *conmutatione* p. *conformatione*.

1) cf. I § 23 p. 16, § 56 p. 17, II § 22 p. 21, § 31 ibid, praeterea cf. Addenda.

2) hoc Halm. adnotare omisit.

3) quamquam Heinrichii conj. quae eadem est Doederleinii *auctoritati pr. inpartitum ac tr.* non displicet, tamen reticere nolim quod mihi in mentem venit: *auctoritati pr. pactum ac tr.*, quod et ad cod vestigia proxime accedit et sententiae optime respondere videtur, fit enim quasi quaedam pactio de regenda atque administranda rep. ita, ut ea evadat reip. forma quae ex tribus generibus mixta et temperata sit.

Haec exempla omnia de primo libro petita satis superque docent non eum fuisse conlatorem nostrum qui sententiae gratia archetypi scripturam vel levissima mutatione tentaret, nedum libro non conlato eiusmodi emendationes eum fecisse putemus (cfr. inprimis quae infra c. VIII ea de re dicam). sed ne levissimas quidem emendationes, e. gr. quae ad praecepta grammatica tritissima veluti de casu, numero, genere, de orthographia cet. spectant, ad unam omnes correctoris ingenio tribui posse censeo, nam quis quaeso negabit earum partem iam in archetypo exstitisse atque hinc a conlatore esse transcriptas? quae cum ita sint, potius esse duco parum quam nimium illius ingenio tribuere, itaque etiam leviores illas emendationes praeter eas quas ex coniectura profectas esse certa vel etiam veri simili ratione effici possit hic subiungere constitui.

I § 1 *ebelli* del. *e*, *tatum* corr. in *datum*, *toluptatis* corr. in *uol.*, *quisdem—qui isdem* (de conj. nempe m. 2 *qui iisdem* scripsisset), § 2 *quasiistin—quasiisti in* (omisit primam *i* expungere, nisi forte delendi nota evanuit), *ducatur—dicatur*, § 3 *quod adsequeretur—quid adsequerentur*, *etsi—est*, *etenim—est enim*, *deo—duco*, *consuis—consilis* (attende quaeso terminationem — *is* h. l. esse servatam), *ruit — fuit*, *ratio—oratio*, *si—sit*, *nequea—neque ea*, *imperiosaist* exp. *i* et del. *t*, *perocesserint* exp. *e*, *adiungitur* m. 1— . . . *untur* m. 2, *reddendum* m. 1— . . *da* m. 2, § 4 *uero illo se—illo uero se* (tribus lineis voculae *se* superadditis non indicatur *sese* legendum esse, quod Halm. vult, sed trium vocabulorum ultimum locum illud obtinere), *uiuorum—uirorum*, *trationibus* del. *t*, § 5 *natae—nata et*, *si unus confugissent—sinus confugisse*, *tellis—telis*. § 6 *oel—uel*, § 7 *maior—maiores*, *inrouiso—inpr.*, *studio—studiorum*, *acseruius—acerbius*, *propiis perculis pare—propriis periculis parere*, § 8 *spectaret—exspectaret*, *retamquillum — et tranquillum* (mendum ortum est ex repetita syll. *ret*), § 9 *non* superadd. verbo *possit*, *patiatur*— . . *antur*, § 11 *maximum—maximis*, *arbitrare—arbitrarer*, *recere—regere*, § 12 *apput—aput*, *qfunctos* exp. *q*, *deuorum* exp. *u*, *uirtutis—uirtus*, § 13 *rutilioorumfo* del. *m*, *experpoliti* del. *e* (nimirum etiam *x* m. 2 delevit vel certe deletam voluit), § 14 *uentaturos—uentitaturos*, *droctrinae*

del. *r*, *parata*— . . *ti*, *posumu—possumus*, *socrate* add. *s*, § 16 *reiecisset—reiecisse et*, § 17 *adsere—adsidere*, *conquire* add. *re*, *studio—studeo*, § 18 *salutabit—salutauit et*, *quaesorios* superadd. *t*, *eximam* superadd. *i*, *esset*: adparet vestigium *n* supra adscriptae, § 20 *adhoc—adhuc*, *putasse—putat esse*, *suumqui* del. *qui*, § 22 *unae—lunae*, *dimsimillimis* exp. *m*, § 23 *in—ain*, *met* exp. *m*, § 24 *pertubatis—perturb.*, idem § 31, § 25 *consilia—consilio*, *sooe—sole*, *oppositum* del. *m*, § 26 *siterra—sit terra*, *tecerrimorum—tet.*, *inmensam* exp. *m*, § 27 *soluere - soli|uere*, *ut—uti*, *fugendi* superadd. *n*, § 28 *expectat*, *obectent—oblectent*, *tuas* exp. *s*, § 30 *est cautus*, *studio—studia*, *egre—egregie*, § 31 *obtectatores* superadd. *r*, *hercule* praeposito *me* sup. lin., *populis—populi sint*, § 32 *at etiamsi — aut et.*, *nosse—nos esse*, § 33 *quid postulasseas—quod postulas eas*, *sumus—simus*, § 34 *parationes—paratior es*, *prouauissent—adprobau*, § 35 *imunum*, *inritiorem—inertiorem*, *procurato*— . . . *tio*, § 36 *hominis*— . . . *es*, § 37 *dede—te de*, *q.—neq.*, *graecs—graecis*, § 38 *maxima* superscr. *in*, *excepto—expecto*, *adprobauissent* del. *n*, § 41 *ciuitatis—ciuitas*, *certe—certo*, *delubri* adiuncta *s*, § 42 *referendam—referendum*, *arbitro—arbitrio*, *societatem*, § 43 *unus—unius*, § 44 *utia—uitia*, *hocad—quoad*, *neminem—nominem*, § 45 *cursu* add. *m*, *retinentes—retinentem*, *remp.* exp. *m*, *cuius—ciuis*, § 47 *feruent* del. alt. *e*, *ese—esse*, § 48 *extitisset*— . . *ent*, *sintegum—sint legum*, vv. *id est rite rēp. rem* metathesis signis superscriptis sic transposita: *rite rēp. id est rem*, § 49 *munus - minus*, *fidestest* exp. *t*, § 50 *est—esset*, *populo—populi*, § 51 *se—si* sc. *i* superaddita literae *e* cuius in locum succederet, licet delendi signum iam non adpareat, neque igitur Mai coniectura falsissima *si e fortuito* neque Osanni vetustiore orthographia *sei* opus est. etenim *ei* p. *i* nusquam quod sciam a 1^a m. exstat, ubicunque autem m. 2^a positum esse videtur idem quod h. l. statuendum esse duco. in eadem § *cernitorapulentos—cernitur opulentos*, *uirtutes*— . . . *is*, *oeperunt—coep*, *deligeque—deliget.*, § 52 *gubernate—gubernante*, *uideret*, *demformior*, § 54 *ut eos—et eos*, § 55 *pacis—paucis*, *optimatem*— . . . *es*, § 56 *principibus* praeposita *a* sup. lin., *nox—nos*, *peruestigandos*— . . . . *a*, *omnes*

— . . *m*, § 58 *romano* — . . . *os*, *sescentisimo* — *sescentes.*, *antiquo* adiuncta *s*, *uidene—uidesne*, § 59 *offendisse* add. *t*, § 60 *pras —pars*, *numerabiles* praeposita syll. *in* sup. lin., § 61 *lle—ille*, § 62 *ero—ergo*, *quidam—quadam*, *ui͞quit* del. *u*, *similitudinis* — . . . *es*, *secessionem* fort. corr. in . . *es*, saltem *m* exp. adparet, *se - sed*, *ager—aeger*, § 64 *iter—inter*, *poteris - posteris*, *nen—non*, § 65 *resrum* exp. *s*, *autemtmare* exp. *t*, locum hunc omnino sanum temere tentavit Heinr. otiosa conj. *aut mare cet.*, quam ipsum Maium et omnes fere ad Osannum usque edd. nec minus Handium [1]) probasse admodum miror. recte autem Os., quem vide, et traditam lectionem defendit et Heinrichii commentum refutavit Steinackerum et Beierum [2]) secutus. *optimum quam* — . . *o quem*, *quam* (aberravit m. 1 ad superius *quam*) — *quod*, *regum - regium*, *insolemtia — insolentia*, § 66 *lenet - lenes et*, § 67 *facturus*, *ut—et*, *differan*, *uberi - liberi*, *incurrunt—...ant*, *euadent* — . . *ant*, *neclegerent—neclegere ut*, *asilli - aselli*, § 68 *utque - atque*, *nitis - nimis*, *ipsistratus - pisist.*, *inquam - unquam*, § 69 *rebrum* exp. *b*, *conmutamtur* — . . *antur*, *nobis—nouis*, post *moderate* inseruit *q*. sup. lin., § 70 *cuius* add. *dam*, *nullius*— . . . *am*, *cumulatae minus - cumulate munus*, *discriptionem* exp. *m*, *disciplinam* exp. *m*, *habendum* — . . *a*, § 71 *aude - aut de* (bis), *maiorem*-- . . *um*.

II § 1 *matris - patris*, *oratione* superaddita *i* literae *e*, quamquam quo haec olim deleta fuit signum iam non adparet, *adulescentiam*, *singulis*, § 4 *adbano—alb.*, *et—est*, *frate* add. *r*, *incolebat*— . . . *bant*, § 5 *partam*, *prouidentiam*, § 6 *maritimis* — . . . *us*, *multum - multis*, *post—potest*, *expectatur* — . . . *os*, § 7 *peruerterunt*— . . *tit*, *mihic*, exp. *mi*, *possint—possit*, § 8 *poleponnesus—pelop.*, *ciuitatis*— . . *tium*, § 9 *psetcr—praeter*, § 10 *annis — amnis*, *redderet*, *redundareet*, *aequablis* add. *i*, *terraaut*, § 11 *perflu͞a͞tur* del. *u͞* (fort. iam m. 1 corr.), *sedm* add. *e*, § 12 *opeseg* del. *eg* (sequitur *regnum*, fort. igitur iam m. 1 de-

1) Tursell. vol. 1 p. 573.

2) 'Päd. phil. Littbl.' 1826 sect. 2, p. 191.

levit), § 13 *cit—icit*, *regi—rege*, § 14 *delege ant*, *curas - curias*, *fuerunt*— . . . *ant*, § 16 *utilitate* — . . . *ti*, *et--ea*, § 17 *conpruisset—conpar.*, § 18 *et—ut*, *olympiades*— . . . *is*, *aaetati* exp. *a*, *esse—esset*, *muscorum* superaddita *i*, § 20 *fili* adiuncta *a*, *iam mortalitate—iam immort.*, sed voculam *iam* ex eis quae sequuntur male praesumptam m. 2 tollere omisit, nisi forte notae delendi evanuerunt, sed potest iam in arch. inepto loco illud repperisse, *mortalitate - mortali*, *illa—illi a*, § 21 *conabulis—cun.*, *aduitum - adultum* ex *i* facta *l*, fort. igitur iam m. 1 inter scribendum corr., *ratio* adiuncta syll. *ne*, *extruet - extrueret*, § 22 *ingessus - ingressus*, *uerbis—urbis*, *instituis* add. *ti*, *oratio defixa—oratione sed def.*, *regges* exp. *g*, § 24 *haec—hoc*, *quo modo - qui m.*, *agestes* add. *r*, § 26 *abundari* literae *i* non quidem deletae, sed quam certo deletam voluit corr., superadd. *e*, *patricinio* utraque m. in *patrocinio* corr., *et—e*, *colendi* add. *s*, § 27 *remouitut* del. *t*, *religioni* add. *b*., § 28 *qui—quae*, *annumalium*, *ybarim* praeposita *s* sup lin., § 29 *quatragemo—quadragesimo*, *attingisse* exp. *n*, *uesatum—uers.*, § 30 *fortunam*, *sibi—ibi*, *etsse* exp. *s*, *rep.—remp.*, § 31 *popilio - pompilio*, *fidem* del. *f*, *hoc—hos*, *sitsibi* del. *sit*, *popul* add. *i*, *fetiau—fetiali*, § 33 *postum—post eum*, *deciuisset—deuicisset*, *ferre*, *treseuiginti* add. *t*, *remp.—resp.*, § 34 *quaedam—quidam*, *annis—amnis*, *fuisse—fugisse*, *influcxit* del. *c*, *foris—fortis*, § 36 *gloria augur tatus—augur gloria attus* (in hac nominis scriptura, quam etiam Livius I, 36 praebet, offendere non debebant Orell. et Nobb. qui Dionysium III, 70 secuti invito cod. *Attius* exhibent), *eppulisset* praeposita *r* sup. lin., *eademque—aedemque*, § 37 *iniustus - iniussu*, § 38 *ornatius - ornatu ius*, *rusticorum - etrusticorum* (facile crediderim *ti* deletas fuisse), *consulutt*— . . *uit*, § 39 *tgnariis* add. *i*, *plurimum - p . . i*, *uispoli - uis populi*, § 40 *adsiduumos* del. *m* (fort. etiam altera *u*), § 42 *sexagignta* exp. *g*, § 43 *aequabilitats* exp. *t*, *omneque* priori *e*, quam sine dubio corr. deletam voluit ac fort. delevit, superadd. *i*, *na͞ modo - no͞ modo*, *isset—is est*, § 44 *dominato*, *coepit*, § 45 *nequeuos—neque suos*, *libidine* add. *s*, § 46 *um—uim*,

esse — sese, § 47 *in — ex*, § 48 *anima* add. *l. sinbi* exp. *n. cogitare — . . . ri*, § 50 *imperis* (de conj. corr. mutasset in *imperii), inpertit, incendires - incenderis, libertatessed* exp. *s*, § 51 *siue — sibi, euerteret — . . it, facitet — facite ut, auspicatu* posteriore *u* in *o* corr. (fort. iam inter scribendum), *potesti* exp. *i*, *sermonem* exp. *m*, § 52 *et* ante *imagine* add., *enipar enitar, expopuloque — expulsoque*, § 53 *in* add. ante *contione, ueliöac*, § 54 *declara — . . ant, hoc — hic, lexanxit* add. *s*, *libris* exp. *s*, *(exi)guo* add. *s*, § 55 *reliquamoratio* exp. *m*, lit. *m* falso vocibus in vocalem exeuntibus addita saepe occurrit, e. c. cf. I § 70 *discriptionem, disciplinam*, II § 5 *partam, prouidentiam*, II § 22 *religionẽ, clementiam cet.*, quare minime opus est Halmii coniectura *reliqua iam.* § 57 *cogebatur - cogebat ut, satis et — satis in, quod* ante *fieri* add., § 58 *ominibus — hom.*, § 59 *scelerent cellerent (*p. *antecellerent*, videtur igitur *ante* iam in arch. defuisse), *publicas* exp. *s*, § 60 *primo* add *s*, *audists* add. *i*, § 61 *cubilo — cubiculo*, post *esse* add. *se, deceret — diceret, poscit — poposcit, maxma* add. *i*, *lege* add. *s*, § 62 *idem esset — id. essent, prouacatione - provoc.*, § 63 *canulei obrogatast — . . o abr.*, § 64 *quin — quid in*, post *sed* add. *de*, *reip.* exp. *i*, post *instituendis* add. *et*, § 66 *qualesset — quale esset*, § 67 *rudentem* praeposita *p*, *et tamen - set t., effecit - efficit, tuim* exp. *i*, *reip.* exp. *i*, *atetipso* (lit. *t* aut ex praegressa lit. eadem aut ex sq. *i* simillima irrepsit, quid igitur opus Halmii coniectura *a temet ipso?)*, in ead. § literis *lt* m. 2 praeposuit *uu*, cave autem ne propter formam recentiorem conicias emendationem ingenio correctoris deberi, cum non uno loco etiam m. 1 recentiores formas et de archetypo quidem si non omnes, at certe plerasque scripserit [1]), § 69 *discendant — discedat*, § 70 *posset - posse set*, § 71 *adsensior — adsent.*

III § 3 *et* ante *uehiculis* add., *partise — partis ed* (p. *et*, ob ipsam igitur scripturam procul dubio haec correctio de arch. sumpta est [2]) *reru* add. *m*, *ternerentur* exp. *r*, *neessaria* add.

1) cf. I § 38 *uultis*, § 65 *uult* etc.

2) cf. I § 23 p. 16.

c, § 6 *quae - quare*, § 7 *si — quodsi*, § 8 *q — quod, praeclarum — . . am, quam* exp. *a*, idem § 6, monendum vero videtur uno loco excepto constanter in libro tertio *qum* scripsisse librarium, § 12 *magnieicum — magnif.*, § 13 *camara*, § 14 *fama — fana*, § 18 *erant — erunt*, § 23 *posses — possis*, § 27 *iuretiam* add. *e*, § 43 *populius* exp. *i*, § 44 *minimero — minime uero.*

IV § 4 *contractationes - contrectationes.*

V § 3 *aut — aūt* i. e. 'autem' (fort. inter scribendum facta est correctio, cum m. 2 non semel *aut* in *autem* ita mutaverit, ut litt. *em* subiungeret), § 5 *ceses — censes*, § 6 *adflictis — a delictis, discilinis - discipl.*, § 7 *ecce* m. 1 — *esse* m. 2 teste Detlefsenio, cum Du R. non recte notaverit *st* superscriptum esse. Mai igitur coniectura *esset* prorsus otiosa est; quamquam Bait. falso eam retinet, nam Halm. quidem editione sua iam absoluta schedas Detlefsenii in adpendice conlocavit itaque recentiore eius testimonio uti iam non potuit.

VI.

Inesse in eis quos recensui locis haud infitias eo qui sane ex ingenio conlatoris corrigi potuerint, neque ego moror si quis hanc illamve emendationem illinc profectam esse coniciat, [1]) sed ut in re incerta tutius esse equidem arbitror quam ego inii rationem sequi. posteaquam igitur cognovimus, quot et quales emendationes non ingenio correctoris, sed conlatoris industriae, qua codicem ad archetypi exemplar emendarit, debeamus nec tam sententiae eorum quae legit adsequendae quam verbum cum

1) equidem earum quae ad grammaticen spectant emm. manifestarum hanc unam archetypi scripturae refragantem repperi: II § 40 *ualebit* corr in . . *at*, sine dubio de conj., cum in vv. post *suffragio* male repetitis iterum m. 1[a] scriptum sit *ualebit.*

verbo conferendi (licet hic illic dormitarit) rationem eum habuisse: iam ad eos locos adgrediamur quorum emendatio sive in dubitationem vocata sive prorsus reiecta est et quibus nisi sunt qui correctorem nostrum, quem potius conlatorem dicas, interpolationis nomine suspectum habuerunt. de quo cum praeter Heinrichium, cuius de m. 2^{a} iudicium iam supra refutavimus, recentissimi editores Halmius et Baiterus omnium maxime a vero deerraverint, eorum inprimis ratio nobis habenda erit.

Atque primum quidem consentaneum videtur eis locis quos m. 1^{a} vitiose traditos m. 2 emendavit eius lectiones, modo ne quid ipsae quoque falsi in se habeant et modo ad m. 1^{ae} similitudinem speciemque accedant vel certe vitiosae m. 1^{ae} scripturae causam atque originem subministrent, doctorum virorum coniecturis, quamvis sint speciosae, potiores ducendas esse. nec minus post ea quae adhuc de emendatoris opera dixi illud concedendum esse puto, quibus locis librarii scriptura non ipsa quidem per se reicienda esse videatur, attamen quo modo in eam quam dedit scripturam delapsus sit perspici possit, m. 2^{ae} autem lectio si non potior ipsa per se, at certe aeque proba esse adpareat ac praeterea ratione palaeographica, quam dicunt, commendetur, hanc ubique esse praeferendam. restat ut ubicunque nec m. 1^{ae} nec 2^{ae} scriptura ad sententiam loci quadrat haec in restituenda lectione genuina sequenda esse videatur.

His praemonitis iam ad singulos locos deinceps tractandos accedo.

I § 3. *que etenim istorum ratio tam exquisita cet.* m. 1, emendatio m. 2^{ae} *quae est enim ist. oratio cet.* etsi ab editorum nullo non recepta est, tamen Krarupii [1]) offensionem movit, qui olim *quae etenim* ferri posse ratus postea ipse suam opinionem missam fecit et Niebuhrio [2]) duce, qui aliis compluribus locis per aphaeresin *st* p. *est* scribendum esse recte statuerat, etiam h. l. *quaest* scribendum proposuit. sed non cogi-

1) Observationum crit. in libros Ciceronis de rep. specimen I et II (Havniae 1826).

2) in Conspectu orthograph. p. 355.

tavit sententiam h. l. vi quadam rhetorica expressam accepta illa scriptura prorsus elumbem fieri. cf. Osanni excurs. XVII.

§ 7 *iurassem* m. 1—*iurauissem* m. 2. hanc lectionem non ex archetypo sumptam esse adeo probari nequit ut vel contra mihi videatur. nam formam illam contractam conlatori nostro minime insolentem visam esse cum per se credibile est tum hinc conligi potest, quod nullo alio loco eam mutavit. itaque h. l. de archetypo formam *iurauissem* eum reposuisse iam eo ipso probari videtur; accedit quod tantum sex locis [1]) exceptis ubivis formam pleniorem, quae antiquitatem ab his ipsis de rep. libris minime alienam redolere videtur, cod. Vat. praebet. praeterea vero cf. quae initio huius cap. in universum monui. recte igitur omnes praeter Halmium Baiterumque edd., quorum in numero ipsum Heinrichium me invenisse admodum miror, lectionem m. 2^{ae} servarunt. — In ead. § ante *cum* m. 2 in marg. adscripsit *cui*. qua emend. accepta cum attractionem olim putaverim statuendam esse de vv. 'is enim fueram cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris... aut, si quid accideret acerbius universis, non praecipuam, sed parem cum ceteris fortunae condicionem subire, non dubitaverim me gravissimis tempestatibus..... obviam ferre etc.', nunc admodum vereor ne non solum qui unus aeque insolentis construendi formae locus conlatus est Cic. de ND. I, 5 § 12 'multa esse probabilia quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur' lacuna laboret, (quam non sine probabilitatis specie P. Stamm [2]) sic explevit: 'quae.... essent ita comparata ut eis etc.',) sed etiam hic ipse locus, quem re vera vitium contraxisse docet praeterea conj. prf. insolenter positus post tempus plusqprf., nec minus hoc ipso tempore cogi videmur ut tempus praesens intercidisse statuamus ad quod *dubitaverim* illud referendum sit. quod igitur FCWolffius [3]) *qui* p. *cui* scribi malebat

1) I § 22 *excogitasset*, § 59 *necassem*, (quo l sermonem vulgarem Cic. refert), § 62 *exsultasse*, II § 10 *diuinasse*, § 20 *mandasse*, § 40 *appellasset*.

2) De Cic. librorum de ND. interpolationibus diss. Vratisl. 1873

3) Observatt. crit. in Cic. oratt. p. Scauro et p Tullio et libb. de rep. frgmta (Flensburgi 1824).

nec sine plausu, non minus perversam illa conj. evadere constructionem non est quod moneam. quae cum ita sint, sententiae haec fere satisfacere videntur: 'is enim fueram cui cum liceret... omnia saluti patriae posthabenda viderentur, et nunc quoque is sum qui non dubitaverim etc.'

§ 8 *maximas nostri animi ingenii consilio partis* m. 1, *consilii* m. 2 restituit, quacum consentit Nonius p. 477 s. v. pigneraretur. non uno vero loco litt. *i* et *o* praecipue in exitu verborum a librario confusae sunt cf. I § 50 *populo*, § 63 *domo*, § 33 *quid*, II § 24 *qui*, § 26 *patricinio*, § 53 *uelioae*, § 54 *hoc* etc. minime igitur ad explicandam corruptelam opus est Halmii coniectura *consiliq.*, in qua ipsa per se forma *consili* post *ingenii* non nihil offendit. ceterum conlator in hoc l. corrigendo suum secutus arbitrium etiam quod sequitur *partis* puto de more suo in *partes* mutasset.

§ 10. 'negant (sc. Epicurei) sapientem suscepturum ullam reip. partem, extra quam si eum tempus et necessitas coegerit. quasi vero maior cuiquam necessitas accidere posset, quam accidit nobis cet.' hanc Halm. praebet lectionem m. 1^{am} secutus, sed iure omnibus praeter illum editoribus et ipsi quoque Baitero correctio m. 2^{ae} *possit* praeferenda visa est. namque in universum Cic. per ironiam quaerit: 'quae maior cuiquam necessitas accidere potest?' cf. § 9 'proinde quasi ulla sit ad remp. adeundi causa iustior.' licet vero etiam 1^{ae} m. lectio ferri possit, adeone doctum conlatorem istum nobis fingamus, ut in res grammaticas subtiliores inquisiverit? saepissime autem lit. *i* in *e* itemque haec in illam abiit velut II § 1 *orationi*, § 13 *regi*, § 16 *utilitati*, § 18 *olympiades*, § 28 *qui* p. *quae*, § 34 *quaedam* p. *quidam*, § 43 *omneque*, § 52 *possit*, § 53 *edes* p. *aedis*, § 67 *effecit*. hinc iure quis coniciat litt. illas in archetypo simillimas fuisse, quales etiam cod. Vat. in titulis librorum praebet.

§ 13. *magnopere* m. 1—*magno opere* m. 2, quam lectionem antiquiorem dicendi consuetudinem redolere ideoque praeferendam esse Mai. et Osann. iudicarunt, quos recentiores edd. secuti sunt, cum Steinacker. Heinr. Zell. m. 1^{ae} scripturam praetulerint. sed nemo puto m. 2^{ae} correctionem ingenio emendatoris vindicabit, qui quidem non antiquiores, sed recentiores ubique formas de suo penu eum superaddidisse cognoverit. [1])

§ 14. 'mihi vero omne tempus ad meos libros vacuum' post *temp.* addito *est* sup. lin. a m. 2^{a}, quod additamentum solus Halm. e textu reiecit, nulla alia scilicet de causa nisi quod correctoris esse commentum temere suspicatus est. sed nisi forte cum Heinrichio omnes m. 2^{ae} emendationes pro meris commentis habuit, vel maxime ei cavendum fuit, ne hanc illamve sine ulla causa idonea interpolatam esse existimaret et ab eo quidem quem locis innumeris genuinam archetypi scripturam reposuisse cognovimus. ceterum si re vera cum interpolatore res nobis esset, non eleganti illo loco *est* inseruisset, sed potius in fine enuntiati. — In ead. § a 1^{a} m. exstat *et ille atutuero animum quoque relaxes oportet* deletis litt. *ut* ac praeterea *u* expuncta teste Du Rieuo, contra Mai. *ut* expunctas esse testatur, eundem vero correctorem idem bis delevisse cum parum veri simile sit, et 1^{ae} m. et 2^{ae} emendatio illa videtur esse; librarium autem non nisi ea correxisse quae ab ipso in scribendo essent commissa cum per se consentaneum videtur, tum ex eis quae supra (c. IV) de illo dixi nescio an satis eluceat. archetypi igitur scriptura fuit *at uero*, quae num ferri possit videamus. mihi quidem omnino sana esse videtur, nam cum Scipio dixerit: 'adqui nactus es (sc. me), sed me hercule otiosiorem opera quam animo', Tubero illa quae supra adscripsi respondet oppositione quadam simulque, ut recte Heinr. monuit, adludendi causa; quamquam hic quidem codicis lectione omnino spreta *at tu* legendum proposuit. pronomine *tu* autem, quamvis saepe in responsionibus adhibeatur, optime nos carere posse quis neget? nescio igitur cur Mai coniecturam *at tu vero*, licet facillima sit, recipere aut Reisigium, qui *tu vero* proposuit, [2]) sequi malimus quam cum Steinackero in tradita scriptura adquiescere.

§ 19. 'ain vero, Phile, iam explorata nobis sunt ea quae ad domos nostras quaeque ad remp. pertinent? si quidem quid agatur in caelo quaerimus.' hanc lectionem Mos. Halm. Bait.

---

1) cf. Addenda.
2) Jenaer allgem. Litteraturzeitung 1823 n. 34 p. 272.

alii m. 1^am^ secuti praebent, et Mos. quidem correctione m. 2^ae^ *pertineant* hanc effici sententiam perversam arbitratur 'nondum exploratum est in rebus quae ad domos nostras et quae ad remp. pertinent quorsum unaquaeque pertineat, utrum ad domos an ad remp.' sed ne hanc in scriptura m. 2^ae^ inesse putemus, manifesto vetamur verbis *explorata sunt ea*, quippe quae non idem valeant atque *exploratum est.* itaque verbis *quae—pertineant* non indirecta, quam dicunt, interrogatio, sed sententia relativa continetur, subiunctivo autem modo nihil aliud efficitur nisi ut eundem vv. illa induant significatum ac si dicatur *eius modi res quae ... pertineant.* [1]) cui sententiae apte respondent quae mox sequuntur 'an tu ad domos nostras non censes pertinere scire quid agatur et quid fiat domi? cet.'

§ 22 recte Halm. emendationem m. 2^ae^ *astris q.* (p. *quae*) *caelo inhererent (p. inhaer.)* recepit. veterum edd. hoc de loco coniecturas recensere supersedeo, cum falso nitantur Mai testimonio, neque enim *inherentibus* sed *inhererent* in cod. exstat teste Du Rieuo; sed quod m. 1^am^ *astellis|isq.* scripsisse eiusque de more ... *is iis quae* legendum esse censet, egregie falsus esse mihi videtur. sine dubio enim corrector vocem male dissectam restituit ita ut syll. *is* superiori versui continuaret; quod autem alterum *is* non deletum esse adparet, certe deletum voluit corrector ac fort. delendi notae evanuerunt. [2]) tum quod ad librarii mendum adtinet, facile is quidem ab *astris* ad synonymam vocem *stellis* delabi potuit, cf. similes errores hos: I § 30 post *neque tam* mente simulque calamo aberrans *quam* scripsit p. *aut*, § 47 post *rhodii (p. rhodi)* aberravit ad *athenienses* p. *athenis*, II § 7 ad *excurrant* p. *exulant*, quibus exemplis multa alia addere possum, sed iam ex his satis patet corruptelae origo, neque eius explicandae causa Baiteri coniectura *astris stellisque quae*, in quam duce Osanno incidit, opus esse mihi videtur. haud leve insuper emendationi adfertur momentum eo quod litt. *ell* non solum lineolis deletas, sed etiam expunctas esse adparet. [3])

1) non aliter puto Mai. Heinr. Schuetz. Nobb. Klotz. lectionem m. 2^ae^, quam iure receperunt, interpretati sunt. ceterum cf. § 14 p. 33

2) cf. p. 13 adn. 4.

3) cf. § 14 p. 33.

§ 25 primum scriptum fuit *eiusmodi quid|quid*, tum correctum *quiddam.* fortasse iam ipse librarius, cum *quid* bis posuisset, cognito errore alterum expunxit priorique sine dubio de libro in calce versus antecedentis *dam* adiunxit. quam emendationem ut correctori tribuamus nihil est quod nos moveat, ne Du Rieui quidem opinio, quippe qui argumenta diplomatica quae valeant ad quaestionem quid 1^ae^ m., quid 2^ae^ debeatur nulla praebere codicem ipse contendat. Mai. quidem emend. illam librario ipsi tribuisse videtur, Du Rieui autem iudicium eo maiore adficere nos debet dubitatione, quia (mira ille insignis inconstantia [1])) possitne coniungi *eiusm. quidd.* nescio qua de causa dubitans emend. de coniectura m. 2^ae^ profectam esse vult. quod autem praeterea sententiam longiore constructione laborare dicit, sane solito longior est, sed tamen non ea quae ferri nequeat. Halm. quamquam *dam* m. 1^a^ additum esse videri adnotat, tamen *eiusmodi quid* praeferendum duxit, etsi in textum non recepit. sed lectionem optime traditam omninoque sanam temptare non debuit. coniunctio vero illa, in qua cur haeserint Du R. et Halm. adsequi non possum, quamquam prorsus eiusdem quidem exempla mihi non praesto sunt, tamen quin et grammatica et logica ratione optime sese habeat non dubito. [2]) — In ead. hac § in vv. 'anno quinquagesimo fere post Romam conditam' post *quinquag.* sup. lin. insertum est *CCC.* recedit sane conlocatio ista numerorum a vulgari Latini sermonis consuetudine, sed eiusmodi exceptiunculas in numeralium usu minime alienas esse ab auctoribus Latinis non est quod moneam. [3]) non opus igitur transpositione invito cod. ab Heinrichio facta neque Osanni emendatione *q. et CCC*, sed cum recentioribus edd. in tradita scriptura adquiescendum videtur.

§ 31 Halm. quae post 'quaerit' m. 2 addidit verba 'quo

1) cf. p. 3. sq.

2) cf. Reisigii librum 'Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft' p. 334 sq., ubi quae de notione atque usu pronominis *quidam* praecipiuntur plane in h. l. cadunt.

3) cf. l. c. p. 179 cum adnot. Haasii et Ruddimanni Inst. I p. 194.

*

modo duo soles visi sint, non quaerit' literis obliquis describenda curavit, quae coniectura addita essent. cum igitur sibi fingat correctorem necesse est qui non solum eorum quae contulit sententiam plane adsecutus sit, sed etiam coniecturalis, quae dicitur, artis criticae adeo fuerit peritus, ut ὁμοιοτέλευτον lacunae ansam dedisse ratus de suo penu illa addiderit quae aptissime ad sententiam quadrare quis neget? immo vero ipsum illud ὁμοιοτέλευτον additamentum ex archetypo petitum esse aperte docet. [1])

§ 33 *deinde alia quaeremus* corr. m. 2 (nisi quod de more suo *quer.* servavit, quod ipsum quoque monere nos debet, ne nimium doctrinae ei tribuamus) ex *dealiqueramus* cod. sine dubio conlato, itaque etiam emendatio *quaeremus* instar ipsius archetypi lectionis esse nobis debet, cum praesertim nihil conlatori esset causae, cur sua sponte *quaeramus* mutaret. Moserum vero in structura *rogemus... quaeremus* sine ulla causa idonea offendisse et per se vix quisquam neget et insuper nonnullis eiusdem inconstantiae exemplis adlatis Vogelium [2]) monstrasse adnotat Osann. sed iam ipsa particula *deinde* futurum verbi tempus satis probatur, dicit enim Laelius: 'Scipionem rogemus ut explicet, quem existimet esse optimum statum civitatis. quod posteaquam explicaverit alia quaeremus.'

§ 38. 'faciam quod vultis ut potero, et ingrediar in disputationem ea lege... ut eius rei de qua quaeretur, si nomen quod sit conveniat. explicetur quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, tum demum decebit ingredi in sermonem.' haec verba m. 2 restituit, cum a m. 1ª exstet *etiamgrediar... dequaeritur... et decebit.* iam videamus quidnam m. 2ªᵉ emendatio praebeat offensionis. ac primo quidem loco Halm. eumque secutus Bait. praeter necessitatem *et iam ingrediar* in textum recipere ausi sunt. quod quo iure fecerint ipsi videant. facile autem corruptela nasci potuit, sive *etin* p. *etiam* accepit librarius (cf. II

1) cf. Addenda.

2) Observatt. ad aliquot Cic. locos (Biponti 1830), quem libellum doleo nanc.sci me non potuisse. ceterum saepissime litt. *a* et *e* a librario commutatae sunt, cf. Addenda.

§ 20 *iammortalitate* p. *immort.)* sive ad superius *faciam* aberravit. nec minus facile altero loco *quaeretur* in *quaeritur* abiit. quamquam etiam h. l. Halm. et Bait. lectionem m. 2ªᵉ reiecerunt ac praeterea iam veterum edd. nonnulli, quorum ex numero Moser. monet 'quaeritur' ἀορίστως poni atque intellegendum esse 'quandocunque sit'. quasi vero tempore futuro idem significari non possit! immo hoc ex eis quae sequuntur patet, cf. de off. I c. 6 § 18 'quod vitium effugere qui volet adhibebit... diligentiam', quo loco 'qui volet' idem fere valet ac 'quicunque vult'. tametsi igitur res de qua quaeritur non singularis quaedam, sed generalis est, tamen futuro tempore indicatur, quo modo in unaquaque re de qua quaeretur agendum sit. — Tertiam denique emendationem nimirum ex ingenio correctoris fluxisse Halm. arbitratur itaque *tum demum* uncis inclusit. sed adhuc quidquid addidit conlator ex archetypo eum petiisse cognovimus, quod idem de ceteris locis valere porro videbimus. sententiam ipsam autem respicienti tantum abest ut additamentum illud offensioni mihi sit, ut paene necessarium esse videatur propter ea quae sequuntur 'numquam enim quale sit illud de quo disputabitur intellegi poterit, nisi quid sit fuerit intellectum prius', qua in sententia 'prius' non sine causa, sed cum vi quadam in fine enuntiati conlocatum est. ceterum vv. tradita etiam ab Hauptio [1]) probari gaudeo. iuvat etiam hic adscribere viri inlustris de emendatore iudicium l. c. his verbis prolatum: 'parendum vero est illi emendatori plerumque, sed homines docti et olim ei non semper ubi fieri oportebat paruerunt et nuper in diiudicandis eis quae adscripsit a recta via aliquotiens aberrasse nobis videntur.'

§ 42. 'quare cum penes unum est omnium summa rerum cet.' *quare* m. 2ª additum esse Du Rieu. testatur, cum Mai. pro librarii scriptura accepisse videatur. quod additamentum, ut par est, praeter Halm. et Bait. omnes edd. receperunt. ille vero causa nulla indicata ob id ipsum illud delevisse videtur, quod m. 2ª additum esset. sed sive librario ipsi sive ei qui con-

1) index lect. Berolin. 1867/8 p. 5.

tulit supplementum debemus, quin iam in archetypo exstiterit post ea quae de utroque exposui dubitari vix licet. accedit quod deleta vocula *quare* habet aliquid ingrati ἀσύνδετον illud, cum praesertim artissimo haec sententia cum praegressis conexa sit vinculo.

§ 47 *in libero autem populo ut rhodi ut athenis nemo est ciuium qui****, sic m. 2 corr. ex vitiosa scriptura *ut rhodii ut rhodii athenienses*, cuius corruptelae nimirum ansam dedit lit. *i* in *rhodii* male geminata, cf. quae ad § 22 adtuli exempla, quibus adde haec: I § 54 *ut* p. *et* (antecedit *ita*), I § 65 *facturus est* p. *factu est*, II § 1 *quorum suam quisque cet.* p. *qui*, § 7 *ullae res . . perverterunt* p. *ulla . . pervertit*, § 20 *de mortalitate* p. *de mortali*, § 28 *lucilio* p. *lucio*, § 37 *seruius sulpicius* p. *ser. tullius.* [1]) sed sane non consulto librarius ab arch. scriptura recessisse putandus est. quamquam igitur huius l. et corruptela facillima est explicatu et emendatio m. 2ae optime se habet, tamen Halm. facere non potuit quin suam proferret emendationem hanc: *ut Rhodii sunt et Athenienses*, quae adeo illa non est melior, ut vel ex hac corruptelae origo minus patere videatur.

§ 50. 'quo autem modo adsequi poterat Lacedaemo illa tum cum praestare putabatur disciplina reip., ut bonis uteretur iustisque regibus?' *tum* a libraro omissum add. m. 2 omnesque edd. receperunt. at vero Bakius [2]) nescio cur hic haeserit et *quod praestare* (i. e. polliceri, spondere) legendum proposuerit. nec minus otiose Heinr., quamquam in contextu servavit, *illa* in *illud* mutandum censuit. In ead. § *quid enim iudicatur iste optimus* m. 2 corr. in *qui enim cet.*, quae testimonio Nonii p. 239 (s. v. aemulus) adfirmantur. cum praeterea nec Ciceronis nec Nonii loco sententia ad finem perducta sit, quid est cur Lehner. emendationem m. 2ae spreverit?

§ 51. 'opulentos homines et copiosos, tum genere nobili natos esse optimos putant.' Halm. et Bait. sine ulla causa lectionem m. 1ae *et* p. *tum* praetulerunt; immo optime *tum* sese habet, quia apte quidem iungitur *opulenti et copiosi*, cum *genere nobili nati* diversum aliquid significet; est enim ea differentia quam nos Germani nominibus *geldadel—geburtsadel* notamus. quin etiam emendatio illa nescio an librario ipsi tribui liceat, cum lit. *e* expuncta *ũ*, quamquam tenuiore ductu, literam *t* in ipso versu excipiat, non de more m. 2ae superadditum sit. sed etiamsi correctori tribuamus quid quaeso nisi ipse archetypus, ut *et* in *tum* mutaret movere eum potuit? [1])

§ 54. 'quid tu', inquit, 'Scipio, e tribus istis (sc. reip. formis) quid maxime probas?' 'recte quaeris, quid maxime e tribus, quoniam eorum nullum ipsum per se separatim probo.' duo insunt quibus emendata lectio a 1a m. differt, tertium enim *quid* ex *quod* correctum est itemque *separatim* ex . . *um* et utroque quidem loco mutatione videlicet facillima. primum quidem certum est et secundo et tertio loco aut *quid* aut *quod* legendum esse, qua in re Moser. aliique peccarunt. equidem facio cum Heinr. Steinack. Osann. Klotz. qui emendationem m. 2ae servandam esse statuerunt et altero *quid* probatam et eis quae sub finem huius cap. leguntur 'ut in comparando difficile ad eligendum sit quid maxime velis.' quae quamquam Halm. et Bait. integra reliquerunt, tamen h. l. *quod* m. 1a scriptum emendationi m. 1ae praetulerunt, quo facto quin etiam antecedens *quid* in *quod* mutarent fieri non potuit. concedo sane ferri posse istam lectionem cl. § 46 'ex tribus istis modis rerum publ. velim scire quod optimum iudices' (quamquam etiam h. l. Steinacker. *quid* mavult), sed quoniam emendatio m. 1ae locum sanum reddit et de archetypo eam esse repositam quin statuamus nihil obstat, immo vero veri simillimum est, non est quod ad Halmii coniecturam refugiamus. quod autem Creuzerus in ed. Moseriana ad h. l. adnotat: 'recte in interrogatione directa "quid maxime probas?", recte item in indirecta, quam dicunt, "quod maxime e tribus (sc. generibus istis probem)," quasi falso in interrogatione indirecta dicatur 'quid maxime probem',

1) cf. I § 18 *an* p. *aut*, § 69 *conmutatione* p. *conformatione*.
2) in censura ed. Heinrichianae inserta bibl. crit. nov. vol. I p. 156.

1) idem librarii error occurrit I § 38 p. 36 sq.

refutatione haud dignum mihi videtur. — Altero loco plerique edd. lectionem m. 1^{ae} *separatum* praeferendam esse censuere, et illa quidem per se nihil quidquam offensionis praebet, sed iam ob id ipsum emendationem m. 2^{ae} non pro coniectura esse habendam nonne veri simillimum est? iam vero si haec quoque recte sese habet, non dubito quin recipienda sit. adfert autem Moser. ipse locum simillimum Cic. de ND. II c. 66 § 165 'et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt (sc. dii)', qui cur non cum hoc l. comparari debeat non video, nam sententia videlicet haec est: 'si separatim ab universis spectes', itemque h. l.: 'si separatim a reliquis spectes.'

§ 56 *imitemur ergo aratum* m. 2 corr ex *imitabor ergo ratum*, quod plerique edd. spreta m. 2^{ae} auctoritate rescribendum putarunt (nimirum emendatione *aratum* probata) atque etiam Osann., quamquam utram praeferamus scripturam haud multum interesse dicit, in textum recipere non dubitavit suum ipsius de m. 2^{a} iudicium minime secutus. sed cum omnino non esset cur in illa scriptura conlator offenderet atque etiam Arati nomen h. l. primum obvium, qua erat sententiae incuria atque doctrinae inopia, de coniectura vix repositurus fuisset, iam ob id ipsum de archetypo lectionem suam deprompsisse putandus est, quam Ciceroni reddere debemus. similem vero librarius h. l. commisit errorem ac I § 12, quo loco Moseri conj. *pluribus* p. *plurimis* ab omnibus, quod sciam, praeter Osannum edd. iure recepta est. [1]) h. l. cur Moser. lectionem m. 1^{ae} aptiorem esse dixerit neque ipse indicavit neque ego perspicere possum, immo vero si alterutra ipsa per se nulla codicis habita ratione probanda sit, *imitemur* ego probem, ne cum paulo post Cicero eundem Scipionem eadem de re dicentem faciat: '*principia capiamus*', praeter necessitatem inconstantiam sermonis scriptori elegantissimo tribuamus. etiam haec verba sedulo conlatori de-

1) fort. h. l. ut aliis ll. permultis *ae* p. *e* in arch. scriptum erat, sed etiam simplex lit. *e* haud raro in *a* abiit, cf. Addenda, idemque de litt. *b* et *m* docent Ribbeck. proleg. ad Vergil. p. 238 et Schuchardt. 'Vocalismus des Vulgärlateins' vol. I p. 222 sq. cf. p. 181 sq.

bemus, cum librarius *principiamus* vicinarum syllabarum deceptus similitudine scripserit. tamen Halm. conj. suam *principium capiamus* in textum recipere ausus est. sed de hac scriptura videlicet librarius non tam facile ad eam quam dedit aberrare potuit quam de m. 2^{ae} lectione, quae ut genuina et quasi cod. archetypo ipso tradita iure a ceteris edd. omnibus Ciceroni reddita est. tum hoc monendum videtur emendatorem de coniectura minime nomen plurale positurum fuisse, quod tamen, licet in hac structura insolitum quid sonet, ad sollemnem totius loci habitum nescio an aptissime quadret.

Sequitur locus vexatissimus, quem m. 1 sic exhibet: *ab eo dicendi principiamus* (p. *principia capiamus*) *quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes doctique expoliri consentiunt*, quibus verbis m. 2 hanc solam adtulit medelam quod *docti in* ante *doctique* sup. lin. inseruit. huic loco miserrime corrupto ut succurreret Mai. aliam super aliam in medium protulit coniecturam, quas tamen omnes improbandas esse censeo. ac primum quidem a Niebuhrio monitus hanc dedit lectionem: *omnes docti indotique une ore cons.*, qua quidem ad sententiam nihil aptius quadrat, sed vide quantum distet a cod. vestigiis. nec minus reicienda est altera Mai conj. haec: *omnes indocti expolitique*, contra quam recte monet Steinack.: 'ut crederem adducerer, si doctos diceret. expolitos Cicero, qui studiis, artibus, doctrina expolitos dicere solet.' neque etiam Ciceronis est voces eas inter se componere quarum altera trita sit atque quotidiana, altera eleganter dicta. maxime vero eo nomine Mai. reprehendendus est quod manum emendatricem nihil curavit. tertia denique eiusdem d. v. conj. *docti expolitique cons.* et ob has quas modo dixi causas improbanda est et ob aliam quam haud leviorem duco. quid enim opus est doctrina, ut Iovem deorum hominumque regem esse aliquis credat? at vero etiam de vulgi opinione sermonem esse ea quae sequuntur aperte docent, quibuscum conferre iuvat quae eadem de re Cic. dicit de ND. I c. 17 § 4 'igitur deos confitendum est. quod quoniam fere constat inter omnis non philosophos solum, sed etiam indoctos cet.' tum Niebuhrio duce Nobbius hanc recepit lectionem: *doctrina expoliti uno ore cons.* priori ex parte Mo-

sero debitam, quae tamen eis quae ante dixi vitiis laborat. Creuzer., ne periret illud *que*, coniecit *omnes quasi explorate consentiunt* monens 'quasi' compendio scriptum esse *qui*. sed licet hoc concedam, quamquam eiusmodi compendii neque ipse adtulit exempla neque ego inveni, nihilo setius licentius scripturam cod. mutavit quam ut ei adsentiamur. accedit quod ne sententiam quidem aptam praebet illud *explorate consentire*, nam quis est qui qua de re hic agitur eam omnes homines explorasse contendat? Heinrich. desperata voce *expoliri* omissa ac praeterea ordine verborum praeter necessitatem inverso legit *indocti doctique cons.*, cum tamen non solum ipsum per se supplementum m. 2ae rectè sese habeat, sed etiam eo accepto lacunae origo facilius patere videatur. sed qui tandem fieri potuit ut vox ista prorsus corrupta in hunc l. irreperet? quod ut explicet Heinr. non solum correctorem, sed etiam ipsum librarium temere pro interpolatore habet et iam in archetypo ratus vitium fuisse *omnes doctique* librarium statuit in syllabis *esdocti* tale quid cernere sibi visum esse itaque allevisse verbum nihili *expoliri*, coniecturam suam. iam videre licet quo usque l. hic vexatus dd. vv. mentes ceperit. alia commenta verbo commemorasse satis habeo, ut Beieri [1]): *omnes, docti indocti, cons.*, quam conj. Orell. suscepit, Wolffii [2]): *ex poetis*, Franckii [3]): *omnes docti indoctique et politi*, Badenii [4]): *omnes, docti indoctique, voce parili.* at qui nihili illud *expoliri* corruptum esse putant ex glossemate *expoliti*, quod interpretationis causa in marg. adscriptum in contextum verborum irrepserit, ne illi in errore versantur. nam ut Osanno concedam *expoliti* in *expoliri* abiisse et emendatorem vocem delendam oblitum esse delere, tamen quis unquam animum induxit vocem planam atque tritam insolenti interpretari? quam in sententiam Baiterum ipsum quoque discessisse miror. quod autem locus Augustini simillimus adfertur epist. 41: 'si quidem illum deum dicis unum, de quo, ut dictum est a veteribus, docti indoctique consentiunt', non semel

1) fragm. Cic. p. 195.
2) l. c.
3) Verisimilium specimen (Flensburgi 1828).
4) in Iahnii annal. suppl. tom. II p. 358.

illum, etiamsi nominatim Ciceronem commemoret, ab eius verbis discedere negari nequit [1]). quod idem valet de Lactantio, Ciceronis tamquam pedisequo, cui locum Tullianum ante oculos fuisse recte iam Mai. monuit; dicit enim Inst. div. I, 11: 'regnare in caelo Iovem vulgus existimat: id et doctis pariter et indoctis persuasum est.' quo loco Halm. probare studuit Ciceronem *pariter consentiunt* scripsisse, quod de Orellii coniectura in textum recepit; quamquam illam sententiae quidem optime, cod. scripturae minime respondere quis non videt? quare Hauptius [2]) ita illius suscepit patrocinium ut in vitiosa cod. scriptura latere *ex parili* idque substitutum fuisse adverbio synonymo *pariter* censeret. quod equidem non crediderim, cum nullo auctorum Latinorum loco *ex parili* adverbii vicibus fungatur. mihi vero, cum olim labem hunc l. contraxisse credidissem quae vix elui posset, post in mentem venit possetne scribi *experti consentiunt*, quam in eandem conj. Hertzius, praeceptor inlustrissimus, sese incidisse mecum communicavit. qua emendatione in utramque partem loco satisfieri puto, nam ut sententiae probe respondet, ita quod ad rationem palaeographicam pertinet non illa quidem plane ad apices literarum accedit, sed tamen minime violenta esse mihi videtur.

§ 58 *ista vero (sc. urbs), inquit, adulta vix* m. 2, *ea vero* scripturam m. 1ae solus Halm. recepit, sed iure ceteri omnes edd. emendationem m. 2ae praetulerunt, nam praeterquam quod sermoni aptior est (qua de re cf Ruhnken. ad Terent. Eunuch. V 3, 3) nescio quid nisi archetypi scriptura ipsa correctionis causa fuerit. similis error librarii occurrit II § 43 *hocad* p. *quoad* [3]). — In eadem hac § verbis 'cedo num barbarorum Romulus rex fuit?' m. 2 post *num* sup. lin. inseruit *scipio* (sc. casu nominativo), quod nomen perverso illo loco, quem Maio et Du Rieuo testibus obtinet, ferri omnino nequit. Mai. quidem sitne pro glossemate habendum an Ciceroni tribuendum dubius haeret,

1) cf. II § 69 *atque ut in cantu* cl. Aug. CD. II, 21 *atque cantu*, § 70 id. ibid. *et quo* p. *aut quo*, *esse illud* p. *illud esse*, *regi non posse* p. *regi nullo modo posse*.
2) Herm. vol. IV (1870) p. 148 sq.
3) cf. § 22 p. 34 et § 47 p. 38.

alii ut Halm. et Bait. reiecerunt. sed interpolator nimirum perverso illo loco nomen Scipionis non interposuisset, itaque ipse Heinrich. quin exempli vetustioris auctoritate factum esse statueret facere non potuit. (qua re ne ipse suum de m. 2^{a} iudicium [1]) irritum fecisse videretur, dixit in ed. suae p. 191: 'qua quidem causa adducor ut credam hic et aliis quibusdam locis m. 2^{am} non esse eandem quae in hoc cod. plurimum versatur'). sed puto conlatorem, sive ex margine sive ex ipso versu archetypi vocem istam transcripsit, casu lapsum falso loco eam inseruisse, itaque in Wolffii [2]) coniectura qui rescribi voluit *cedo, Scipio, num* adquiesci posse mihi videtur. quod autem nomine loquentis inserto vb. 'inquit' omissum est, idem etiam aliis locis ipsius huius operis occurrit, veluti II § 69 'huic scilicet, Africanus, uni paene', III § 44 'praeclare quidem dicis, Laelius, etenim video iam cet.' et in ead. § 'minime vero, Laelius, quoniam cet.', cf. Goerenz. ad Cic. de finn. IV 1. 2 p. 421. etiamsi vero ipsius qui contulit esse additam. malis, tamen cave pro interpolatione habeas, sed illud statuas necesse sit correctorem non nisi cui interlocutorum (sit venia verbo!) vv. ista tribuenda essent eum adnotasse.

§ 59 *te te infelicem* m. 2 corr. ex *a te*, quam scripturam Halm. Bait. alii praeferendam esse iudicarunt. sed quamquam ipsam per se probo, tamen ut librarii errore proficisceretur pronum erat propter praegressam syll. *at;* accedit quod, si de conj. corrector h. l. emendasset, satis habuisset lit. *a* delere, neque puto alterum *te* addidisset. iure igitur plerique edd. lectionem emendatam receperunt, quae ut innumeris exemplis vocis ἐμφάσεως causa geminatae probatur [3]), ita huic loco, si quid video, aptissima est. Ambrosii autem locus de off. I, 21 quo exhibetur *o te inf.* nihil ad rem facit, cum etiam in eis quae sequuntur a Cicerone differat ut Lactantius, qui de ira dei c. 18 *miserum te* scribit, in prioribus. ceterum ob ipsam illam ἔμφασιν non *tete*, quod Heinr. exhibet, sed *te, te* scribendum puto.

1) p. 2.
2) l. c. p. 26.
3) cf. Creuzer. in ed. Mos. ad I c. 47 et quos ille laudat dd. vv.

§ 60. *ergo archytas iracundiam uidelicet dissidentem a ratione seditionem quandam ab animo reducebat*, verba haec corrupta m. 2 sic restituit ut litt. *ab* expunctis syllabas *mi* et *ue* sup. lin. insereret, tum adderet *eam consilio sedari uolebat ad(de auaritiam cet.)*. cuius corruptelae causam quaerenti recte monuisse mihi videtur Heinr. ad verba praegressa *a ratione* accomodata esse proxima, quod saepenumero in codd. accidisse non est quod moneam; itemque similis exitus verborum *ducebat* et *uolebat* ansam dedit, ut verba illa a conlatore suppleta interciderent. et Maium quidem cum emendationem m. 2^{ae} sic legeret: *seditionem quandam animi mouere* sententiae non satis habuisse rationem iam alii recte monuerunt, inprimis Reisigius [1]), cuius lectionem *animi vere ducebat* ad sententiam optime convenientem a scriptura m. 2^{ae} non recedere Mai. ipse in ed. alt. confitetur. nam quod syll. *mo*, cuius in locum *mi* superaddita cederet, deleta non videatur, id nescio an non neglegentiae conlatoris, sed atramento evanido tribuendum sit. nihilo minus Halm. et Bait. otiosam eandemque haud facilem conj. Weissenbornii [2]) *ab animo removendam ducebant* pluris aestimarunt atque quod sequitur additamentum ut colon insulsum expunxerunt. sed equidem adeo nil insulsi in ista sententia me invenisse confiteor, ut vel aptius ad iracundiae cum seditione comparationem quadrare videatur quam Weissenbornii commentum. ἀσύνδετον autem, quod solum plerisque edd. iure offensioni fuit, tollitur facillima mutatione *eamq.*, sequitur enim *e* lit. ceterum hanc lectionem etiam Hauptius [3]) probavit. minime igitur pro interpolatione habendam esse emend. hanc m. 2^{ae} praeter ea quae in universum de conlatore nostro dixi et quos adhuc tractavi locos docet et sententia huius loci, quae omnino sana evadit, et ipsa corruptelae ratio. — In eadem hac § librarius cum scripsisset *probas igitur animum ita adfectum nihil uero inquit magis ergo non pro*, aberravit ad *(ad)-fectum;* hinc vv. iam exarata usque ad *pro(bares)* male repetiit.

1) in frgm. Vatic. ed. (Halae 1824) p. 361.
2) in Iahnii nov. annal. vol. LII.
3) in indice lect. Berol. 1867/8.

sed fort. iam ipse, cum primum quidem iure haerens in voce nihili *profectum* inter scribendum lit. *o* superaddidisset [1]), tum errore cognito vv. male repetita delevit. quod ut librario ipsi tribuere malim, movet me inprimis ipsa delendi ratio; nam cum expunctis litt. *f*$\overset{o}{e}$*ctum* .... *inquit* etiamtum litt. *magis ergo non pro* delendae restitissent, id altera m. factum esse videtur, neque enim hae litt. ut ceterae quae sequuntur punctis deletae sunt, sed lineolis obliquis, quamquam quae trans litt. *non pro* ipsas quoque olim ductae fuerunt iam non adparent. quid est igitur quod Mai., cui ad Osannum usque omnes edd. veteres adstipulati sunt, immerito *profecto* in cod. expunctum esse contenderit? cum praesertim in falsa illa repetitione *profecto* omissum sit itemque a Nonio p. 233.

§ 62. *si digni modo sint iis artibus, rectius esse .... committere cet.*, sic m. 2 corr. ex *siinit.* quam emend. quamquam cum ceteris edd. Halm. ipse quoque in textum recepit, tamen non potuit non suam conj. proferre, sc. *sunt*, quod sane non minus facile in eam quam m. 1 dedit scripturam abire potuit neque ipsum per se falsum est. sed cum m. 2^{ae} emend. omnino nihil praebeat offensionis, nemo puto (ac ne ipse quidem Bait. fecit) Halmii conj. prorsus otiosam praeferet. — In ead. § in verbis 'de quo progrediente oratione plura me dicturum puto' vox *plura* est conj. Creuzeri eademque Cobeti, ut Du R. nobiscum communicat, cum in cod. a m. 1^{a} exstet *uita*, quod, ni fallor, librario paulo superius *(inq)uit* respicienti e calamo fluxit. m. 2^{ae} autem correctionem non integram adparere testatus Du R. non nisi litt. *it* deletas et *tura* supra adscriptas cernere potuit, simulque ait illam conj. vestigiis scripturae m. 2^{ae} non obstare. iam igitur missa faciamus necesse est quae illis vestigiis non respondeant, ut Beieri [2]) commentum *multa*, quod Osann. in textum recepit.

§ 63. *in pace et domo* m. 1, literae *o* m. 2 *i* superaddidit,

1) nec tamen consulto contra cod. auctoritatem, sed vitium ab ipso commissum esse ratus in ipso scribendo cod. nondum rursus inspecto illud fecisse putandus est.

1) 'Päd. philol. Littbl.' 1826, sect. II n. 22 p. 191.

quae nimirum illius in locum succederet, etsi delendi signum (id quod saepenumero accidisse cognovimus) aut omissum aut evanidum factum est. habeat igitur sibi suam conj. otiosam *domui* Otto, quem temere Osann. secutus est.

§ 64. Mai. scripturam m. 1^{ae} *oennius* ita servare studuit ut *o* in *q*. mutaret, quod idem fecerunt Os. et Klotz., cum tamen ea lit. ab emendatore expuncta sit. sed recte monet Du R. non esse cur Ennius hoc uno loco praenomine gaudeat, quod abesse soleat apud Ciceronem. — Ennii versus quos Cic. h. l. adfert sic exstant a m. 1^{a}:

pectora diu tenet desiderium
(hic Ciceronis pauca inseruntur verba) *simul inter*
sese sic memorant cet.

quamquam aperte illa scriptura metro refragatur, tamen recipere eam ausus est Os., quem Halm. et Bait. secuti sunt. et Os. quidem verba Ennii metro soluta adferri statuit, ita ut in medio relinquatur, qua forma olim integer Ennii locus metro adstrictus fuerit. sed quoniam videlicet vv. *simul inter* excipiunt vv. *pectora* — ◡ *tenet desiderium*, num quis credat unam illam vocem trochaicam a Cicerone missam factam esse et alia absona commutatam? contra emendatio m. 2^{ae} *dia* minime videlicet ad sententiam convenit, cui tamen scriptura m. 1^{ae} nescio an ne ipsa quidem satisfaciat, cum non diu, sed per omne vitae tempus Romanos orbatos Romuli tenere desiderium Ennio dicendum fuerit. sed fortasse evanuisse quae praeter lit. *a* m. 2 supra adscripserit non temere quis coniciat, ut Krarupii coniecturae *fida*, quae etiam sententiae satis respondet, locus esse possit. utut vero res sese habet, quin ex arch. conlatorem emendationem transcripsisse statuamus nihil obstat. — In ead. § *existimant* m. 2 corr in *existimabant*, quam scripturam auctore Lehnero Halm. et Bait. reiecerunt, cum mihi vel praeferenda esse videatur ipsa per se. neque enim hoc verbum proxime antecedenti *adiungunt*, sed potius vbo. *appellabant* respondere recte Mos. animadvertit. etenim, quod addere debuit, tempore praesenti usus Cic. Enniii verba persequitur, cum imperfecto quae tum fuerit de regia potestate opinio hominum ex ipsis illis versibus expediat.

§ 65. *tibi* scripturam m. 1^{ae}, quam m. 2 in *mihi* corr., unus Villemain. pessime retinet.

§ 68. 'sic tanquam pilam rapiunt inter se reip. statum tyranni ab regibus, ab iis autem principes ant populi, a quibus aut factiones aut tyranni.' unus Orell. emendationi m. 2^{ae} *autem* praetulit *aut* scripturam m. 1^{ae}, [1]) qua accepta vide quam molesta evadat structura sententiarum sese excipientium prorsus eadem. Moseri autem conj. supervacaneam *autem aut*, licet facillima sit, cur Klotz. receperit nescio.

§ 71. 'quem (i. e. optimum statum civitatis) si habeamus, etsi ne nunc quidem, tum vero quis te possit esse florentior?' *tum* quod m. 2 correxit ex *tunc*, non solum propter *vero*, quam causam conlato Graeco τότε δή Otto apud. Os. protulit, [2]) legendum videtur, sed etiam *tunc—si* insolentius dictum esset, certe ab optimorum auctorum usu, quod sciam, abhorret. quod autem Weissenborn. [3]) *tunc* reponi vult propter praegressum *nunc*, sat multa illi rationi obstant exempla, cf. Cic. ad Att. VII, 6 'nisi forte haec illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus', id. p. Quinct. 28 § 87 et § 88, etc. etiam Madvig. [4]) *tum* praefert, qui de hoc loco optime meritus est, cum non solum *habemus* recte in coniunctivum mutarit, sed etiam 'etsi ne nunc quidem' ad ea quae sequuntur referenda esse, ita ut mente suppleretur 'quisquam est florentior', recte intellexerit, quam sententiam Os. infirmis rationibus impugnare studuit. [5]) — In eadem hac § cum librarius scripsisset *cum tu duobus huius urbis terroribus depulsis in omne tempus esse prospexeris*, m. 2 *esse* expunxit. praeter necessitatem autem et invito cod. Steinacker. *ei* legendum proposuit, [6]) immo *esse* ex superioribus repetitum videtur.

II § 2 *qui suam quisque remp. constituissent*, sic in cod.

---

1) idem error librarii occurrit V § 3.

2) cf. Reisig. l. c. p. 432 sq.

3) l. c. p. 149.

4) opusc. acad. vol. II p. 281.

5) si ad praegressa referamus, sine dubio *etsi non nunc quidem* scribendum sit, quod mihi olim in mentem venit.

6) idem coniecit Maehly., 'Zeitschr. f. d. Gymn. Wes.' 1866 p. 811, sed post *omne* insertum voluit.

correctum esse Du R. testatur contra Maium, qui a m. 1^{a} *qui*, a m. 2^{a} *quorum* exstare adnotaverat. sed iuvat ipsius Du Rieui verba adferre: 'immo quod primo fuit *qui* correctum est in *qu*$\overset{o}{R}$*ũ*, sed postea ita erasum ut legeretur *qui*, quod nisi duobus correctoribus tribuas, a 2^{a} m. emendatum dicas, simulac viderat' ille (conlatorem sc. nostrum dicit) locum in peius esse mutatum. emendationem recte sese habere post ea quae de hoc l. Mos. Haasius [1]) Os. disseruerunt nemo iam negabit. sed quaeritur quidnam h. l. de correctore vel correctoribus statuendum sit. atque duor. quidem correctorum h. l. esse vestigia parum veri simile est, si quidem ab uno eodemque locum restitutum esse quin putemus nihil obstat. equidem ut m. 2^{ae} emend. hic statuam adduci non possum, cum inter scribendum eam ortam esse litt. *Rũ* non superadditae, sed ipsi versui inter literas continuatae et eisdem prorsus ductibus atque ceterae exaratae docere mihi videantur. tale autem aliquid librario accidere potuisse exemplis ad I § 21 et § 48 adlatis satis probari videtur. puto igitur simulatque *qui* scripserit, falso id sese fecisse eum ratum ob sequentem vocem *quisque* statim in *qu*$\overset{o}{R}$*ũ* mutasse, sed ubi codice rursus inspecto errorem cognoverit, genuinam scripturam reposuisse. velim autem animadvertas literas illas non expunctas esse aut lineolis deletas, sed de more librarii [2]) erasas. iam igitur dubitari nequit quin reapse *qui* in archetypo exstiterit. unus autem Schuetz. [3]) falsam scripturam *quorum* retinuit, quam Mai., postquam ipse quoque in textum recepit, in Emm. reiciendam esse censuit.

§ 4. *ualidam urbem et potentem temporibus illis*, sic recte m. 2 scripturam m. 1^{ae} *uel pot.* emendavit. diversum esse significatum utriusque adiectivi recte Creuzer. cognovit, itaque ipse sibi submovisse videtur fundamentum suspicionis *uel potentem* ex glossa ortum esse, cuius rationem equidem non perspicio.

---

1) ad Reisigii l. c. p. 325 adn. 338.

2) cf. p. 10 sqq.

3) cuius ed. in universum permultis mendis et ipsius et typographi errore commissis insignis est.

nec minus otiosa est altera eiusdem d. v. conj. sc. scriptum fuisse *ut temporibus illis* i. e. pro temporum illorum ratione, quo complemento omnino non opus esse quis neget? [1]) Otto scripturam m. 1^ae^ ita defendere studuit ut *vel* per gradationem dictum esse pro *adeoque* censeret. sed quidnam gradationis intercedat inter urbem *validam* et *potentem* non video.

§ 5. *quod essent urbes maritimae non solum multis periculis oppositae, sed etiam caecis*, sic. m. 2 correxit, cum librarius, ni fallor, ad *diuturnitatis* quod praecedit delapsus scripsisset *caecitatis*. quod autem Krarup. [2]) hanc scripturam videlicet corruptam servare studuit, admodum ipse 'caecitatus' fuisse videtur, ut verbo hoc monstroso utar, quo ille Latinum sermonem ditare voluit. Krarupii commentum etiam Orell. [3]) perstringit, sed quod addit: 'qui pertinacius *caecitatis* defendet, is dicat potius esse ipsum genitivum singul. supplendumque *periculis*', utinam verbis pepercisset. Biondii [4]) coniecturam *casibus* verbo memorasse satis habeo, neque ille passivam adiectivi *caecus* notionem adsecutus esse videtur.

§ 6. 'nec vero... prae se fert aut quid sit aut unde veniat aut etiam quid velit.' post Heinr. et Steinack. soli Halm. et Bait. *quis sit* scripturam m. 1^ae^ susceperunt, quam ipsam per se recte sese habere minime nego, cum praesertim paulo superius eadem de re legatur 'quis et unde sit'. quamquam sibilantium concursus habet aliquid ingrati, quod ipsum Cicero consulto vitasse videtur cum h. l. scriberet *qui sit*. quae inter utrumque pronomen intercedat differentia tritum ac decantatum est, sed non semper anxie eam servari sat multa docent exempla conlecta in libro Neuii inscripto 'Formenlehre der latein. Sprache' vol. II p. 159.

§ 7. *est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum* m. 1 — *mutatio morum* m. 2. primum quidem quaeritur, num ipsum per se *demutatio* h. l. necessarium sit, falsum autem *mutatio*, quod nemo puto contendet.

1) cf. Ellendt. ad Brut. § 28 p. 26

2) l. c. p. 24.

3) anal. (vol. IV pars II) p. 595.

4) in ed. fragmt Vat. a Petro Odescalchio facta (Bononiae 1826).

accedit quod *demutatio* apud ecclesiasticos demum auctores usu venit [1]) atque etiam verbum *demutare*, etsi apud Plaut. et Tac. reperitur, tamen a Ciceronis consuetudine dicendi alienum est. sed ut *atque mutatio* genuinam esse lectionem quae in *ac dem.* abierit cum Krebsio [2]) statuamus non cogimur. nam, si quidem emendatam lectionem praeferimus, vix dubium videtur quin librarius ad vocem synonymam ecclesiasticis peculiarem, quam sive legenti sive scribenti non semel ei occurrisse puto, mente itemque calamo aberraverit. [3]) quod si cui parum probabile itaque scriptura m. 1^ae^ praeferenda esse videatur, quis quaeso nobis praestet puncta illa duo delendi causa superaddita, non pro meris maculis forte enatis habenda esse vel, licet re vera delendi signa sint, ad m. 2^am^, non ad m. 3^am^ vel etiam recentiorem referenda esse?

§ 8. *quae (sc. insulae) natant paene ipsae simul cum ciuitatium institutis et moribus*, sic m. 2 correxit, cum librarius sive ad praegressam vocem *insulas* vel ad sequentem *institutis* delapsus sive, ut Osann. suspicatur, *in ipsa* scripturus *paenein* exarasset. qua vitiosa scriptura nisus Creuzer. protulit coniecturam *inibi ipsae*, quam vanam esse recte monuit Osann. nec minus anonymi aliam, quam Moser. nobiscum communicat, ita *in* transponi iubentis ut legeretur *innatant*.

§ 9 post *coloniarum uero quae est deducta a grais in asiam* m. 2 add. *thraciam italiam siciliam africam praeter unam magnesiam*. h. l. auctoritas m. 2^ae^ cum ipsa per se probata tum eo quod similiter desinunt *asiam* et *magnesiam* firmatur etiam testimonio Servii ad Aen. XII v. 335, qui tamen eo differt quod *colonia* p. *coloniarum*, *thracam*, quam formam Ciceronem 'in de republica' (sic!) scripsisse pro *thraciam* dicit, et *graecis* p. *grais* praebet. formam a Servio servatam plerique edd. scripturae m. 2^ae^ *thraciam* praetulerunt, ac re vera Servius, etsi hunc locum parum accurate in libros conlectaneos re-

1) cf. Tertull. resurr. carn. 55, id. adv. Marc. I 5, 10, at ex loco Plinii H N. XXVIII 8, 13 vox ista remota est; etiam *demutator* a Tertulliano usurpatur (resurr. carn. 32).

2) Antibarb. Lat. s. v.

3) cf. I § 22 p. 34 sq. et § 47 p. 38.

*

ceptum rettulit, tamen formam illam ex cod. antiquissimo sibi enotasse credendus est. sed cum apud scriptores pedestris sermonis alio loco quod sciam nullo usu veniat, immo apud ipsum Varronem, Ciceronis aequalem, 'Thracia' legatur — nam apud Ciceronem quidem hoc uno loco Thraciae nomen occurrit – , nescio an cum Koenio [1] in cod. Vat. scriptura adquiescendum sit. licet vero lectionem Servii testimonio servatam praeferamus, tamen quin ex archet. formam illam simul cum ceteris transcripsisse m. 2^{am} putemus nil quidquam obstat.

§ 9. *et quod ubique genitum est ut ad eam urbem quam incolas possit adnare*, sic m. 2 corr. scripturam m. 1^{ae} *et ubique gentium est cet.* supersedeo inutiles eorum proferre ac refutare conjj. qui traditis verbis omnino non intellectis falsam intulerunt in h. l. sententiam, quasi de commoditate agatur, qua quis advenire possit ad urbes maritimas. immo luce clarius est de mercibus importandis et exportandis sermonem esse, quod ut statuamus monent etiam particulae *rursus* et *et – et.* quam sententiam Bakius [2] recte perspexit, sed praeter necessitatem prius *et* deletum voluit. voce *quod* superaddita m. 2^{a} carere omnino non possumus. iam vero per se vix credi licet hoc quidem m. 2^{am} de archet. addidisse, id quod sine dubio statuendum est, [3] sed quod sequitur de conj. correxisse. at vero emendationem m. 2^{ae} tantum abest ut vitiosam esse censeam ut lectioni quam Halm. et Bait. praebent *et quod ubique gentium est* praeferre non dubitem. namque multo aptius et accuratius sic expressa mihi videtur quae subest sententia, et ut ad vernaculam nostram linguam elocutio ista aptissime convenit (cf. 'erzeugnisse, produkte aller länder'), ita etiam ipsius Ciceronis verba conferre iuvat haec: 'quae in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari'. iure igitur iam Krarup. hanc lectionem defendit neque improbabiliter id eum fecisse ait Orell., neque etiam Os. plane im-

1) 'Ueber die Sprache der röm. Epiker' (Monasterii 1840) p. 50, eandem formam Heinr. Orell. alii probarunt.

2) l. c. p. 152.

3) nisi forte eam de suo penu fecisse emend. m. 2^{am} quispiam putat, cuius sententiam unice rectam multi dd. vv. nostrae aetatis adsequi frustra studuere.

probat, sed in textum recipere debuit. quod Klotz. fecit. quod autem Halmio tempus perfectum offensioni est, sane illud verbo 'efferant' in eis quae sequuntur eadem de re dicto non respondet, sed ipsum per se recte sese habere et variare orationem Ciceroni licuisse quis neget? accedit quod eo facilius *genitum* in *gentium* abire potuit, quod tritissima illa elocutio 'ubique gentium' etiam librario minime rudi linguae Latinae procul dubio nota erat itaque prona in quam aberraret; quam cur conlator de industria invito archetypo mutaret nulla omnino erat causa.

§ 10. Romulus urbem in ripa Tiberis condidisse dicitur, 'quo posset urbs et accipere a mari quo egeret et reddere quo redundaret, eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra.' haec m. 2 restituit, cum librarius non uno loco ab archetypi scriptura aberrasset. primum enim *ex mari* scripserat, tum *reddereet*, deinde *ut* omiserat, denique *uictumque* omisso *cultum* a 1^{a} m. exstat. in h. l. corrigendo cum sine dubio conlator archetypo usus sit, nescio cur edd. aliam emend. tamquam genuinam et quasi archetypo ipso traditam scripturam receperint, aliam interpolationis nomine suspectam habuerint. quodnam quaeso interpolationis indicium prae se fert correctio *a mari*? ferrine optime potest, si quidem Germanice vertas 'vom meere her' [1]? quidni igitur hanc quoque emend. archetypo deberi statuimus, praesertim cum conlatori cur sua sponte *ex* in *a* mutaret nihil fuerit causae, librarius autem facillime ad ea quae sequuntur *acciperet ex terra* aberrare potuerit. — Porro vocula *ut* quid praebeat offensionis fateor me perspicere non posse, ut meo iure mirer Halm. et Bait. uncis eam inclusisse auctore Ludovico de Jan, [2] qui *mare absorberet* cum scripsisset novumque interposuisset subiectum, facilius particula 'ut' omissa putavit iungi posse cum subiecto suo 'urbs' verbum 'acciperet', quod tamen fieri omnino non posse mihi videtur. nam quod solum Janus adtulit exemplum similis verborum structurae Cic. p. Mil. c. 13 § 33 'qua re etsi nefarie fecisti, tamen, quo-

1) cf. Hand. Tursell. vol. I p. 13 et quae ibi adlata sunt exempla.

2) 'Zeitschrift f. d. Altertumsw.' 1845 n. 100 p. 797 sq.

niam in meo inimico crudelitatem expromsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo', prorsus aliter illud sese habere quis est quin videat? praeterea in hoc erravit quod 'non solum' eodem quo 'non solum non' h. l. esse significatu voluit. Osanni ea de re opinio fluctuare videtur, cum negationem abesse non posse arbitratus (quare persuasum habet Ciceronem scripsisse *non solum mare non absorberet* [1])) tamen perversam Jani conj. in textum receperit, nisi quod salva particula *ut* eandem effici posse sententiam putavit. omnino vero loci sententia eos fugit, dicit enim Os. vitium quod Romulus vitare studuerit nihil aliud esse posse, quam quod in urbe maritima res necessariae facile exportentur detrimento urbis. immo vero vitia illa continentur et 'periculis non solum multis, sed etiam caecis' (§ 6) et 'corruptela ac mutatione morum (§ 7, cf. § 9). haec Romulus vitavit cum urbem remotam a mari conderet, simul vero commoditatem urbis maritimae, ut facile merces et importarentur et exportarentur, servavit, atque adeo urbs in ripa Tiberis posita merces non solum itinere maritimo adnantes excipit, sed etiam ex terra. quam sententiam unice rectam adsecutus Niebuhr., cum in verbis *mari absorberet*, quae plane abhorrent a sermone Latino, iure offendisset, legendum proposuit *a mari subveheret*. sed mirum quantum a cod. vestigiis recessit! quod idem valet de Moseri coniectura *mari arcesseret*, nec minus ceterae improbandae sunt conjj. a Mosero recensitae, quarum aliae iusto violentiores sunt, aliae sententiae minime satisfaciunt, aliae utroque nomine vituperandae videntur. [2]) equidem putaverim inter *mari* et *absorberet* participium quod insequenti *invectas* responderit e. c. *adlatas* vel *adportatas* intercidisse. neque etiam temere quis coniciat *invectas* loco movendum et post *mari* transponendum esse.

§ 11 scripturam m. 1^{ae} *locumque delegit .. fontibus undantem* m. 2 corr. in *loc. ... abundantem*, quod omnes praeter Lehnerum edd. receperunt, sed iam Mai. additamentum m. 2^{ae} ne-

1) quae conj. typographi, ut videtur, errore abiit in *n. s. mari n. a.*, quod neque Halm. nec Bait. cognovisse miror.

2) Kayseri conj. *ex mari adportaret* nihil fere differt ab ea quam Wolff. l. c. p. 36 in medium protulit *ab mari adp.*

cessarium esse negaverat eumque secutus est Os. recte vero Moser. oblocutus est et optimorum scriptorum usum et ipsius Ciceronis flagitare verbum compositum, atque adeo eo qui hic requiritur significatu vb. simplex non nisi a poetis usurpatur. quod autem Os. (qui falso emend. m. 2^{ae} pro conj. Mai accepit) in poetica regionis descriptione verb. simplex retineri posse censet, equidem cum Du Rieuo nihil quod poeticum sermonem redoleat in hac descriptione video, et vb. perflandi, quod eiusdem esse condicionis dicit, etiam apud Varronem, Plinium, Columellam usu venit. sed fac Ciceroni sic ut a m. 1^{a} exstat dicere licuisse, tamen Os. suum ipsius de m. 2^{a} iudicium secutus emendatam lectionem probare debuit sine ulla dubitatione, sed sane minime eum sibi constitisse non uno loco cognovimus.

§ 12. *sabinas honeste hortas uirginis* m. 1 — *sab. honesto ortas loco uirgines* m. 2, quam emend. nemo editorum praeter Halm. et Bait. repudiavit, qui cur fecerint adeo nihil causae est, ut contra elocutio ista eis probata a Cicerone aliena esse videatur. quod autem H. dicit editores praebere *honesto loco ortas* falsus est, neque etiam cur sic debuerint transponere scio, cf. de lege agr. I, 9 § 27, ubi Cic. se ipsum 'equestri ortum loco' dicit. rarior sane haec conlocatio est, sed iam ob id ipsum vix credi licet ex ingenio correctoris emend. hanc fluxisse.

§ 21. *a uita hominum abhorrentem et moribus* (sc. *civitatem*), sic m. 2 corr. ex vitiosa scriptura m. 1^{ae} *et a maioribus*. quam emend. quin aeque ac ceteras quas adhuc recensui de archetypo sumptam esse statuamus nihil omnino obstat; accedit quod *a* et *ai* litt. non solum expunctae, sed etiam lineolis deletae ad utramque manum referendae esse videntur [1]). sed qui praepositionem *a* retinent Mai. Schuetz. Nobb. Os. Halm. etiam logicam rationem parvi aestimarunt, quacum non minus quam cum vulgari usu pugnare praepositionem repetitam ipse Os. concedit [2]). etenim ad idem redeunt 'vita' et 'mores,' quae praeterea artius inter se iunguntur genetivo 'hominum'. quod autem elumbem fieri omissa praepositione periodi exitum Os. censet,

1) cf. I § 14 p. 33.

2) cf. inprimis Reisig. l. c. p. 738 sq. cum adn Haasii.

adeo mihi non probavit, ut Steinackero adsentiar monenti orationem repetita praepositione *a* inconcinnam fieri.

§ 23. *ut ipse* (sc. *senatus*) *regeret sine rege remp.* m. 2 — *gereret* m. 1, quam scripturam exceptis Lehnero, Zellio, Orellio omnes edd. praetulerunt. quamquam non subscribo Orellii sententiae 'gerere' usurpari non nisi de singulis qui postquam remp. capessiverint, una cum aliis eam administrent — sunt enim quae illi obstent exempla—, tamen hoc quidem loco 'regere' eo aptius dici mihi videtur quod patres ipsi regis vicibus funguntur. persaepe autem *gerere* et *regere* in codd. inter se confusa sunt, cf. e. gr. August. CD. II, 21, quo loco plerique codd. *remp. geri*, alii *regi* praebent, contra in eod. cap. optimi codd. *remp. regi*, cum in deterioribus codd. et in palimpsesto II § 70, quem locum Augustin. exscripsit *remp. geri* legatur.

§ 26. *quibus* (sc. *otio et pace*) *facillime iustitia et fides conualescit* m. 2— *in quibus* m. 1. sic dici posse minime nego et eadem quidem sententia ac si dicas 'dum civitas otio et pace fruitur.' sed sine dubio gravior evadit, si causa ipsa esse pax et otium dicuntur. servanda igitur emendata lectio cum plerisque edd., quorum in numero etiam Baiter. est. facile autem *in* irrepsit, cum proxime antecedat *iniecit.* ceterum aptius ad m. 2^{ae} quam ad m. 1^{ae} lectionem quadrant quae V § 3 leguntur 'illa autem diuturna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit.' — In eadem hac § m. 2 post *legibus* extra versum add. *his*, quod uncis incluserunt Halm. et Bait. sed quae exstant in monumentis leges et a quovis legi possunt nonne aptissime pronomen demonstrativum adsciscunt?

§ 27. in emendatione m. 2^{ae} *reuocauit animos hominum studiis bellandi iam immanis ac feros*, cum librarius scripsisset *tam i. ac f.*, sine causa Steinackerum offendisse et ex hac ipsa sententia patet et recte docuit Mos. cl. § 25 'hominesque Romanos instituto Romuli bellicis studiis ut vidit incensos.' immo (quod addere debuit Mos.) *tam*, quod solus Steinack. praetulit, omnino non habet quo referatur.

§ 28 post *falsum est* sup. lin. m. 2 add. *enim*, quod praeter Heinr. solus Halm. omisit. sed recte monuit Steinacker. pereleganter in hoc sermonis genere particulam illam addi, at

vero non est cur ad Graecorum morem, qui idem in nostra lingua obtinet, refugiamus, cum apud Cic. ipsum eius generis exempla inveniantur, e. c. cf. de legg. II c. 17 § 43 '*Q.* sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere. *M.* non enim, Quinte, recte existimamus quae poena divina sit.' adeone vero interpolatorem istum, quem Halm. temere statuit, linguae Latinae peritum fuisse credibile est, ut elegantiam illam Ciceroni redderet? velim praeterea animadvertas tertio loco *enim* insertum esse. — In ead. hac § a m. 1^{a} haec exstant: *ea sunt enim demum non ferenda in mendacio quae non facta set ne fieri quidem potuisse cernimus*, sed de emendatione m. 2^{ae} dd. vv. qui cod. contulerunt inter se dissentiunt. nam Mai. quidem hanc investigavit *quae non solum falsa esse*, quocum Du R. consentit, nisi quod *ficta* correctum esse testatur, contra Detlefs. *solum* se vidisse negat, immo *i* literae *a* et *s* literae *t* superadditas, tum *esse* sup. lin. insertum cernere sibi visus est. sed *solum*, quod et Mai. et Du R. testatus est, non puto sperni posse; at vero *s* litera, quam Detlefs. supra *t* sese vidisse testatur, quid faciendum sit nescio, nam *falsa* esse correctum ne putemus eo vetamur quod *i* literae *a* superadditam esse Du R. et Detlefs. consentiunt. quae cum ita sint, donec fort. codice denuo conlato res patebit, cum Baitero in Du Rieui testimonio adquiesco, quo facto emendationem m. 2^{ae}, ut ipse fecit, recipiamus necesse videtur, cum omnino sana inde evadat sententia bene congruens cum eis quae antecedunt: 'neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum.' quod autem correctoris studio emend. illam adscribendam esse Halm. iudicat, causam equidem nullam video, immo vero ut duobus locis superioribus ita hic quoque librarium *facta* p. *ficta* scripsisse admodum veri simile est. habeat sibi igitur Halm. conj. suam *quae non modo non facta, set cet.*! quod autem veteres edd. *quae non solum facta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus* emendatione m. 2^{ae} partim recepta partim reiecta praebent, perperam fecisse mihi videntur, cum ratione et logica et grammatica particula 'non' post 'non solum' adici debeat, ut recta sententia proficiscatur. namque ita solum in illa structura 'non' omitti solet, si quod ad utrumque enuntiati membrum pertinet verbum

in posteriori conlocatum negationem quae in sententia inest sibi ipsi adsciscit. quam rationem minime in hunc locum cadere quis est quin videat? sed ea res fugit Osannum cum in excursu XVIII. fusius quam verius de formulis 'non modo' vel 'non solum' — 'sed ne - quidem' ageret.

§ 30. *quod multa intelleges etiam aliunde sumta meliora aput nos multo esse facta.* in his verbis quod add. m. 2 *multo* Halm. solus uncis inclusit. 'sed quaero, num interpolatorem quem sibi H. fingit re vera eleganti illo loco commentum suum inserturum fuisse credi liceat. qua in conlocatione ipsa nescio num quis haeserit, etenim ut verba numerose cadunt ita ratione logica suo quodque loco aptissime positum est, cf. ad Att. XI, 8 'ea cognovi commodiora esse multo', Ter. Andr. prol. 4 'verum aliter evenire multo intellegit', Cic RP. III § 8 'rem multo omni auro cariorem'.

§ 33. *tum laelius* m. 2 – *et laelius* m. 1. non erat cur hoc corrigeret m. 2, nisi archetypo inspecto *tum* invenisset. idem autem librarii error iam bis nobis occurrit [1]). recte igitur omnes praeter Halm. et Bait. edd. m. 2^{am} secuti sunt.

§ 34. *cumque audiret dominationem cypseli confirmari defugit patriam uir liber ac fortis*, hanc m. 2^{ae} emendationem scripturae m. 1^{ae} *confirmatam fugit* substitutam iniuria Halm. et Bait. reiecerunt, neque enim solum per se levior in verbo simplici vis inest, sed etiam idem verb. mutata significatione repetitum (paulo enim superius idem Cypselus 'fugisse cum magna pecunia dicitur cet.') habet sine dubio aliquid ingrati. Osanni autem coniectura *confirmatam, defugit* non solum prorsus otiosa est — nam 'confirmari' tyrannidem i. e. in dies firmiorem fieri, ut recte Mos. explicat, plane ad rem convenit—, sed etiam hoc laborat vitio quod alteram emendationis partem ex archet., alteram ex conj. correctoris fluxisse ille statuit [2]).

§ 37 *seruius sulpicius* a 1^{a} m. exstat, sed de correctione m. 2^{ae} dd. vv. qui cod. inspexerunt inter se dissentiunt, et Mai. quidem, cum in ed. princ. videri fortasse m. 2^{a} factum

1) cf. I § 38 p. 36 sq. et § 51 p. 39

2) librarium in eam quam dedit scripturam aberrare potuisse docent exempla ad I § 22 p 34 sq. et § 47 p. 38 conlecta.

tullus dixisset, rursus inspecto cod. nullum omnino istius correctionis vestigium sese deprehendisse testatus est, quod idem statuit Goettlingius [1]), cui Mai. hunc loc. inspiciendum praebuerat. sed fortunatior sibi videtur Du R., quod caelo, ut opinatur, splendidiore iuvante cernere sibi licuerit emendationem hanc *sulpicius* (t sup.) deletis litt. *s*, *p* et *c*. at qui recentissime cod. inspexit Detlefs. nihil vidit nisi vestigium literae *t* sup. *s*. iam igitur cadat necesse est Mai sententia Servii Sulpicii nomine regem illum notissimum h. l. a Cicerone nuncupatum esse. qua in controversia, quae nulla esse debuit, cum non nisi Coquaei cuiusdam commentatoris ad Augustinum (CD. XVIII, 37) auctoritatem cum sua facere sententia Mai. ipse confessus esset, permire etiam Os. et Klotz. corruptam scripturam receperunt, quam neglegentia librarii ortam esse iam Goettling. recte monuit. similem errorem commisit librarius cum II § 28 *lucilio* p. *lucio* scriberet.

§ 39. Priusquam ad hunc locum celeberrimum accedam, de quo doctissimi viri alius post alium novam in medium protulere sententiam nec non alii adeo desperarunt ut in codicibus deperditis ad lucem revocandis solam difficultatis quae in hoc loco inest expediendae spem conlocarent, non in eorum memet esse numero profiteor qui suis quisque argutiis indulgentes hoc de loco disputarunt, neque etiam omnium recensere sententias ex re esse mihi videtur id potissimum spectanti ut etiam h. l. antiqui emendatoris auctoritatem recentiori maxime aetate spretam tuear.

Locum ita adscribere iuvat ut ex adversis columnis utriusque manus lectionem itemque ex pinguioribus literarum ductibus quae intercedat differentia cognoscas.

1. m.	2. m.
nunc ratio	*nunc ratio*
nem uidetis	*nem uidetis*
esse talem ut	*esse talem ut*
equitum cer	*equitum* **cen**

1) 'Gesch. d. röm. Staatsverf.' p. 501.

tamine cum	**turie** *cum*
et suffragiis	**sex** *suffragiis*
et prima clas	*et prima clas*
sis addita cẽ	*sis addita cẽ*
turia q̄. ad sũ	*turia q̄. ad sũ*
mum usum	*mum usum*
urbis fabris	*urbis fabris*
tgnariis est	**ti***gnariis est*
data .VIIII. cẽ	*data* **.LXXXVIIII.** *cẽ*
turias tot e	*turias* **habeat quib. ex** [1]
	cent. quattor centuriis tot
nim reliqu	**e***nim reliqu***ae**
ae sunt octo	*sunt octo*
solae si acces	*solae si acces*
serunt cõ	*serunt cõ*
fecta est ui	*fecta est ui***s**
spoli uniuer	*po***pu***li uniuer*
sa	*sa*

Ut ab emendatione m. 2ae exordiar, centuriarum ratio h. l. descripta, secundum quam LXX centurias primae peditum classis Servius Tullius instituisse dicitur, iure gravissimam movit offensionem, cum ab ea quam Livius (I, 43) et Dionysius (IV, 16 sqq. cf. VII, 59) tradunt LXXX primae classis centurias factas esse referentes mirum in modum dissentiat. quam difficultatem sunt qui nullam esse censeant, cum non ad Servii Tullii, sed ad Scipionis aetatem, quem Cicero haec narrantem faciat (a. 625 a. u.), descriptionem illam referendam esse arbitrantur. ac primus quidem Godofredus Hermannus [2]) hanc sententiam protulit et hunc locum et Livianum, quo de mutato centuriarum ordine agitur, falso interpretatus, nam Tulliani quidem loci tota indole non nisi de Tullio rege sermonem esse manifesto arguitur, quod Niebuhrius in controversia illa quae deinde inter ipsum et

1) litt. *ex*, quas Mai. Mommsen. ('Zeitschr. f. d. Altertumsw.' 1845 p. 786) Du Rieu. testantur, in Detlefsenii apographo non adparere dicit Halm., sed lit. *e* extra versum inter *cent.* et *enim* adiectam esse; quae tamen differentia ad rem nihil valet.

2) in epistula ad Steinack. data, quae huius in ed. inest.

Steinackerum exorta est [1]) demonstravit, itemque particulam *nunc* plane non de tempore praesenti accipi posse, sed logicam esse (i. q. νῦν δέ) eo sensu ut Cic. dicat 'iam cum vobis non sit ignota descriptio, paucis defungar' recte monuit Reisigius [2]). tum vero qui hunc locum ad Scipionis tempora vel ipsa Ciceronis referendum esse censent numerum centuriarum a Tullio rege institutum illarum ordine mutato (a. 513 a. u.) non esse abolitum statuant necesse est, cum quem h. l. Cicero refert numerum CLXXXXIII eundem de Servii Tullii aetate DH. tradat, quocum consentit Liv., nisi quod accensorum centuriam falso addit [3]). sed illi sententiae et locus Livii I, 43 repugnat [4]) cum dicit 'nec mirari oportet hunc ordinem qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus duplicato earum numero centuriis iuniorum seniorumque ad institutam a Servio Tullio summam non convenire.... neque eae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere,' nec minus obstare videtur quod DH. IV, 21 dicit: οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος (i. e. ordo centuriarum a Ser. Tullio institutus) ..... μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον, nam prima classis X centuriis minuta ita ut universus centuriarum numerus non augeretur parum videlicet valuisset ad vim popularem confirmandam. neque etiam eorum quisquam qui sententiam illam am-

1) Niebuhr. 'Ueber d. Nachr. v. d. Comit. der Centur. im 2t Buch Cic.'s de rep.' (Bonnae 1823), Steinacker. 'Replik f. Herrn Staatsrath Nieb. d. Cic. Fragm. anlangend' (Lips. 1824), Nieb. 'Duplik geg. H. Steinack.' (Bonn. 1824).

2) 'Ienaer Litt. Ztg.' 1824 suppl. 38—41. inepte tum in Seebodii libro cui inscribitur 'Archiv f. Philol. u. Pädag.' I, 4 p. 789 sqq. vir quidam doctus 'nunc' h. l. non idem quod 'igitur' (immo νῦν δέ s. 'nunc autem' dicere debuit), sed tempus significare dixit, cum illud si voluisset Cic. 'videtis nunc' scripturus fuisset. immo vero quocunque loco ea quam dixi significatione particulam illam usurpatam inveni in initio sententiae conlocata est.

3) I, 43 'in his (i. e. XXX centuriis 5ae classis) accensi, cornicines tubicinesque in tres cent. distributi,' etiam hunc dissensum tollere conatus est Langius (Ant. Rom. I1 p. 365) conj. hac: 'in his accensis cornicines tubicinesque in II cent. distributi.'

4) cf. Urlichs. in Nov. Mus. Rhen. 1842 p. 409, Lang. l. c. II1 p. 437.

plexi sunt, dico Herm. Steinack. Zumpt. [1]) Orell. [2]) Rud. de Raumer [3]), ut alios omittam, rationem centuriarum quae mutato earum ordine fuisset probabilem proposuit; quorum sententias quominus hic recenserem ac refellerem singulas otium mihi fecerunt viri doctissimi Niebuhr. Goettling. Huschk. Rein. alii. missis etiam Niebuhrii [4]) et Huschkii [5]) de mutata centuriarum ratione sententiis ingeniosissime excogitatis, quorum tamen alter quinque civium classes abolitas esse falso statuit (cf. Ps. Sallust. de rep. ord. II, 8, Serv. ad Verg. Aen. VII, 716 etc.), alter prorsus arbitrariam instituit computationem. restat ut Octavii Pantagathi [6]) sententiam commemorem, qui verba Livii I, 43 non de prima classe sola, sed de omnibus a Ser. Tullio factis recte accepit itaque rem esse institutam cognovit ut singulis classibus tricenae quinae centuriae sive tribus bipartitae seniorum totidemque iuniorum darentur, quo facto centuriarum peditum CCCL summam effectam esse, sed falso XXXV vel etiam LXX centt. equitum adiecit. denique eandem secuti interpretationem Peterus [7]) et Mommsenius [8]) CCCLXXIII centt. factas esse probarunt non ita quidem ut iam dubitari ea de re nequeat, sed licet de opificum et capite censorum centuriis etiamnunc ambigatur — nam equitum XVIII centt. servatas esse veri simillimum est —, tamen et Pantagathi interpretationem loci Liviani veram esse et hoc loco Tulliano non de mutata centuriarum ratione, sed de Ser. Tullii instituto agi vix quisquam hodie negabit [9]).

Ipsene igitur gravissimum tuendae emend. m. 2^ae^ argu-

1) 'Ueber Abstimmung des röm Volks in Centuriatcomitien' (Berolini 1836).

2) excurs. ad Cic II c. 33 § 82 (in Cic. oratt. select. Turici 1836 pag. 453) et Onom. Tull. vol. III p. 374 sqq.

3) de Servii Tulii censu diss (Erlangae 1840).

4) H. R. III p 382 sqq.

5) 'Die Verfassung des Königs Ser. Tull.' (Heidelb. 1838) p. 611—690.

6) apud Ursin. ad Liv. l. c.

7) 'Die Epochen der Verfassungsgesch. d. röm. Republik' (Lips. 1841).

8) 'Die röm. Tribus' (Altonae 1844).

9) nuperrime tamen Pluessius in libello cui inscripsit 'Die Entwickelung der Centurienverfassung' (Lips. 1870) nulla classium habita ratione Niebuhrii sententiam amplexus interpretationem illam vulgo receptam et unice veram infringere studuit, sed argutior quam verior esse eius commentatio mihi videtur.

mentum mihi submovisse videor? at minime una cum hoc auctoritatem emendatae lectionis conlabi postea docebo. nunc de Peteri [1]) interpretatione huius loci non sine magno excogitata acumine, sed iure inprimis a Mommsenio [2]) reprobata dicendum videtur. ut igitur lectionem m. 2^ae^ tueretur simulque Ciceronem cum Livio et Dionysio consentientem redderet, verba 'nunc.... habeat' ad mutatae centuriarum rationis aetatem, quae sequuntur ad Ser. Tullii institutum referenda esse coniecit locum sic interpretatus: 'jetzt hat die erste classe mit den daran sich schliessenden centurien 89 stimmen; gesetzt es bestände noch die servianische verfassung, so würde — die einigkeit der 1ten classe vorausgesetzt — dieselbe durch den beitritt von nur 8 centt. schon die maiorität erreichen, denn 193 centt. waren von Ser. Tull. gemacht.' sed primum quidem, ut de particula 'nunc' taceam, omnino fieri non potest ut verbis 'quibus si accesserunt' Cic. a mutata centuriarum ratione ad vetus Servii institutum redierit; tum vero cum ex Peteri sententia IC centt. 1^ae^ classis a Tullio rege factas esse Cic. dicat itaque hanc ipsam per se plurimum valuisse necessario conligatur, quid est quod insuper VIII centt. accessisse dicantur, ut maior suffragiorum pars efficeretur?

Quodsi interpretando dissensus inter Ciceronem et Livium atque Dionysium tolli nequit, iam videamus quemadmodum emendationibus dd. vv. loco huic vexatissimo succurrere studuerint. ac primus quidem locum corrigere adgressus est Niebuhrius, cuius emendationem Mai. in ed. sua hanc nobiscum communicat: *nunc ... data LXXXVII centurias habeant: quibus XII centuriae (tot enim reliquae sunt equitum) solae si accesserunt ...*; postea vero [3]) haec fuisse verba genuina satis confidenter adfirmavit: ... *ut prima classis addita centuria quae... data, LXXXI centurias habeat: quibus ex CXIV centuriis (tot ... sunt) equitum centuriae cum sex suffragiis solae si accesserunt ...* sed primum quidem parum sibi constitisse vide-

1) l. c. p. 66 sqq.

2) l. c. 61 sq.

3) H. R. I³ (1828) p. 500 sqq.

tur v. cl., nam quamquam acerbissima in emendatores iecit convicia, qui 'sine libris pro viribus' codd. correxissent, tamen ipse de correctione m. 2^{ae} nonnulla *(centuriae* p. *certamine, sex* p. *et*, vv. *habeat: quibus ex... centuriis)* in suam recepit emend., quae num re vèra èx correctoris ingenio fluxisse crediderit nescio; certe is qui talia commentus sit minime ignorantiae et stupiditatis nomine reprehendi debet, quod tamen Nieb. fecit. tum vero, ut rècte Rud. de Raumer [1]) animadvertit, mirum in modum adeo omnia a librariis esse corrupta censet, ut nè una quidem loci particula sana remanserit, quamquam tam bene numeri omnes, quos adulterinos esse arbitratur, inter se conveniunt, ut unum si mutes totam confundas computationem, atque haec mirabilis numerorum conspiratio partim casu, partim a lectore calculum in margine libri ponente, partim ex inscitia emendatoris orta esse Niebuhrio videtur. denique numerum CXCV centuriarum nullo neque teste neque argumento idoneo probatum in hunc locum intulit itaque discrepantiam discrepantia tollere conatus est. [2])

Ut alias emendd. non minus arbitrarias atque etiam violentiores Reisigii [3]) Goettlingii [4]) aliorum omittam, Huschkii [5]) ingeniosa commemoranda videtur conj. haec: *ut equitum centuriae binae* [6]) *cum VI suffragiis cet.* rem enim ita sibi fingit: Ser. Tullii aetate denis peditum centuriis singulas equitum adiunctas fuisse ita ut 1^{ae} classi duae equitum centt. cum VI suffragiis, 2^{ae}, 3^{ae}, 4^{ae} binae centt. equitum, 5^{ae} classi reliquisque peditibus IV centt., quas ipsas quoque in binas divisas esse putat, tribuerentur [7]), postea vero omnes equites 1^{ae} classi

---

1) l. c. p. 89 sqq.

2) eandem fere emend. iam a. 1823 in libello cui inscripsit 'Ueber die Nachricht etc.' proposuit, nisi quod post *sex suffr.* inseruit *decem et octo.*

3) 'Ienaer allgem. Litt. Ztg' 1824 suppl. 38—41.

4) Herm. vol. XXVI p. 84—128.

5) l. c. cap. I.

6) *cent. aeuine* in arch. script. fuisse suspicatur.

7) dicit enim praeter CLXX cent. in V classes distributas V cent. opificum et proletariorum et sextam quandam classem fuisse et eam quidem cuius

adiunctos fuisse eamque rationem Livium et Dionysium sequi, cum Cic. vetus Servii institutum in animo habeat atque describat. sed iure Goettling. [1]) arbitrariae illi de equitum centuriis sententiae haec opposuit: 'wie die ritter zuerst in den streit kommen, so fordert es auch die natur der sache, dass sie zuerst stimmen u. zw. alle centt. nach einander, nicht in einer solchen zerrissenen weise.' ceterum vir inlustris conj. suam ratione palaeographica facillimam omnium quae de h. l. in medium prolatae sunt ipse postea alterius gratia missam fecit, de qua paulo inferius nobis dicendum erit.

Nunc iam Mommsenii [2]) nobis occurrit emendatio, qui m. 2^{am} loci tractandi fundamentum esse debere iure arbitratus genuinam lectionem, quae iam in archetypo corrupta fuerit, hanc esse censet: ...*LXXX[X]VIIII centurias habeat, quibus [cum X]CIV centuriis — tot... sunt — [II] solae accesserunt....* sed primum quidem librarium qui istam lectionem interpolarit iusto sagaciorem sibi fingit, tum vero ad sententiam ipsam emendatio illa minime quadrare videtur, nam posteaquam Cic. 1^{a} classe IC centurias i. e. maiorem suffragiorum partem contineri dixit, omnino fieri non potuit quin sic pergeret: 'etiamsi II ceteris i. e. XCIV centuriis accesserunt'. quod idem video iam Gerlachium [3]) recte monuisse.

Prorsus aliam loci corrigendi viam ingressus est Ritschelius, [4]) qui cum plura quae contra praecepta grammatica sermonemque Latinum pugnarent in emend. m. 2^{ae} invenisse sibi visus esset, hanc deserendam et m. 1^{am} in restituenda lectione genuina sequendam duxit. primum enim in forma numeri singularis 'habeat' ad subiectum 'centuriae cum VI suffragiis et

---

mentionem faciat Fest. s. v 'quintanam classem', huic igitur in V partes divisae et V illis centuriis iuste cent. equ. datam esse itemque XXX centuriis 5^{ae} classis III centurias equitum.

1) l. c. p. 505.

2) l. c. p. 63.

3) 'Historische Studien' vol. II (Basileae 1847) p. 222.

4) Nov. Mus. Rhen. vol. VIII p. 308 sqq., cf. ibid. p. 406.

prima classis' referenda iure offendit (ut iam antea Niebuhr. et
alii), sed cum facillime *habeāt* in *habeat* abire potuisse nemo
non videat, nihil prorsus impedit, quominus hanc formam lineola
carentem ex cod. archetypo correctorem sumpsisse statuamus,
vel etiam in transcribendo lineolam forte omissam esse pace
mea quis coniciat. maxime vero ut emend. m. 2^{ae} meram esse
interpolationem existimaret movit Ritschelium quod tempus
praesens 'habeat' vel 'habeant' simul cum imperfectis 'exclude-
retur — valeret' et interposito quidem in parenthesi enuntiato
quo summa totius argumentationis contineretur ex particula 'ut'
penderet. iure sane Peteri interpretationem, quam artificiosissi-
mam et falsam esse cognovimus, reiecit. sed eam rationem
qua Huschkius et procul dubio etiam alii temporum diversita-
tem explicarunt sc. tempus praesens ad computationem a Sci-
pione institutam, imperfecta ad consilium Ser. Tullii convenire
non evertisse mihi videtur, etsi ipse H. novae coniecturae gra-
tia illam missam fecit. nam quod in hac explicatione simplicis-
sima maximae Ritschelio est offensioni sc. incondite et contorte
exprimi sententiam, si quo summa rei contineatur enuntiatum
in parenthesi ponatur, id nescio an ferri possit, si hunc esse
sententiarum nexum tibi persuaseris: primo enim enuntiato cum
equitum et fabrum centuriis 1^{am} classem LXXXVIIII centurias
habere dicit Scipio; hinc iam cum universus centuriarum nume-
rus minime esset ignotus, et ipse et ceteri qui conloquio inter-
erant necessario conlegerunt VIII solas ex reliquis CIV centt.
momentum fecisse comitiis; tum tertio enuntiato quo consilio
Servius centurias instituerit docetur. at si quis nihilo setius
contortam esse periodum censeat, accepta conj. *esset* p. *est*,
quam a Niemeyero excogitatam nobiscum R. communicat, nihil
remanere videtur difficultatis (scilicet praeter 1^{ae} classis cen-
turiarum numerum falso a Cicerone traditum) nisi quod R. vv.
'centuriae . . . et 1^{a} classis . . . centurias habeant' ineleganter vel
certe neglegentius composita esse iudicat. sed cum praesertim
hoc loco computatio contineatur, minime ζεῦγμα illud offensioni
esse debet, nam ipsum per se recte dici 'classis habet centurias'
vix est quod moneam.

A vero deerrasse Ritschelium, cum alterum a correctore
ad emendandum hunc cod. adhibitum esse exemplar negaret,
supra (cap. III) satis demonstravi. quod autem hoc potissimum
loco correctorem deprehendi censet cod. interpolasse, adeo nihil
in hac emend. interpolationis indicium prae se fert, ut scriptu-
ram m. 1^{ae} diligenter consideranti certa sese offerant vestigia
quibus etiam hunc loc. ad archetypi exemplar emendatum esse
adpareat, quod iam Rud. de Raumer Huschkius alii recte mo-
nuerunt. nam primum quidem ipsa accusativi forma *centurias*
probabiliter confici potest verba quaedam excidisse, tum vero
quae post hanc vocem supplevit corrector ipsa quoque in vocem
centuriis exeunt; adeo autem coniecturalis, quam dicunt, artis
criticae peritum illum fuisse, ut ὁμοιοτέλευτον lacunae ansam de-
disse ratus aptissime eam de suo penu suppleret, quis credat?
itaque librarium oculis deceptum quae sequebantur priori statim
voci adiunxisse statuamus necesse est, correctorem autem vel
potius conlatorem verba illa ex cod. archetypo addidisse aeque
ac I § 31 vv. *quo modo duo soles uisi sint non quaerit* post
idem verb. *quaerit*, quod additamentum tantundem fere sibi re-
quirit spatium atque vv. *habeat quib. ex cent. quattor centuriis*,
cf. I § 43 ubi post *quaedam* m. 2 add. *seruitutis si athenienses
quibusdam*, I § 60 quo loco librarius, cum scripsisset *adfectum
nihil uero inquit magis ergo non pro*, ad litt. *fectum* rursus de-
lapsus male repetiit *fectum cet.*, I § 61 ubi m. 2 quae omiserat
m. 1 add. haec: *eo quid domi pluresne praesunt negotiis tuis*,
II § 31 haec suppleta sunt: *isq. de imperio suo exemplo pompili
po*, II § 45 post *metueret* haec add. m. 2: *ipse poenam sceleris
sui summam me*, II § 60 post *annis post* omissis *ea. XX. ex eo
quod l. papirius p. pinarius censo* praesumpsit librarius *res
multis cet.* totidem fere literas (circiter XXX) omnibus his locis
librarius omiserat, ut iure inde quod fuerit in archetypo cod.
singulorum vel etiam binorum versuum spatium conligas.
vides igitur etiam quae h. l. m. 2 addidit verba unius ver-
sus vel duorum spatium explevisse eoque proclivius libra-
rium ab altera voce ad alteram delapsum esse. accedit
quod in ipso illo additamento *quattor* legitur, quam scriptu-
ram non fere nisi a poetis et ab his quidem rarissime usurpa-

tam [1]) certo non de suo sumpsit emendator; [2]) de ceteris quae h. l. m. 2 correxit postea dicendum erit. nunc quid ipse Ritschelius m. 1^{am} secutus legendum proposuerit videamus: ...*ut equitum centuriis cum sex suffragiis et primae classi, addita centuria ... data, octo centuriae solae si accesserunt, confecta esset vis populi universa, reliquaque ... VI et XC centuriarum (tot.. sunt) neque excluderetur cet.* vere Ritscheliani acuminis coniectura, sed ut vv. *habeat quib. ex cent. quattor centuriis* minime ab interpolatione suspecta esse cognovimus, ita emend. *cum sex suffragiis* p. *cum et suffragiis* ex emendatoris ingenio fluxisse post ea quae de illo exposui credi minime licet. nonne igitur qui haec ex libro prompserit eum cetera quoque indidem petiisse consentaneum est? tum recte, ni fallor, Huschkius [3]) monuit correctorem adeo sagacem ut interpolationem istam excogitaret elegantiorem vocem 'efficiant' vel similem scripturum fuisse p. 'habeat'. iam id ipsum vero admodum dubiam reddit Ritschelii coniecturam quod praeter transpositionem verborum *tot enim reliquae sunt* et numerum *octo* p. *VIIII* positum, quamquam harum quidem mutationum originem sagacissime excogitavit, non minus quattuor locis verba tradita mutat. [4]) at vero errorem illum famosum ne Ritschel. quidem emendatione sua sustulit, quam non solum omnino supervacaneam, sed etiam falsam esse docuisse mihi videor.

Quam rem a Ritschelio in integro relictam iterum tetigit Huschkius hac prolata conj.: *nunc rationem videtis inisse talem, ut cum equitum centuriis binis et suffragiis sex prima classis, addita ... data, LXXXVIIII centurias haberet, quibus ... si accesserunt* (vel *accessissent*) *confecta esset cet.*

1) cf. Lachmann. ad. Lucret. III v. 917 et Ritschel. l. c. p. 309.

2) at si quis interpolatorem istum quem volunt non consulto, sed lapsu *quattor* scripsisse coniciat, parum id quidem veri simile videtur, multo autem facilius in transcribendo tale quid ei accidere potuit; sed nescio an iam in arch. sic ut scripsit m. 2 exstiterit. idem valet de scriptura *centurie*, cum hunc similesque errores a m. 1^{a} commissos innumeris locis correxerit emendator.

3) Nov. Mus. Rhen. VIII p. 406 sqq.

4) levioris esse momenti videtur quod Huschk. conj. huic opposuit ex aptissimo loco vv. 'tot—sunt' male esse transposita, nam ipsa per se etiam eo loco quo R. ea posuit ferri posse videntur.

quam emendationem aeque ac priorem eiusdem v. cl. iam ob ipsam de binis equitum centuriis sententiam prorsus arbitrariam et improbabilem reiciamus necesse est. praeterea autem nimia haec laborat licentia, nam 'rationem esse talem cet.' etiam ad Ser. Tullii consilium referri posse clarum est et ne ipse quidem Ritschel. negavit, itaque prorsus otiosa est conj. *inisse*, quae etiam hanc in sese habere difficultatem mihi videtur quod praesertim post praegressam sententiam 'quae descriptio si esset ignota vobis, explicaretur a me' iure vel nomen ipsum regis vel certe pronomen 'eum' infinitivo adiectum exspectamus. tum sine causa idonea et in vv. 'equitum centuriae cum VI suffragiis' offendit et in conlocatione nominis numeralis 'sex', quod non solum praeter necessitatem, sed etiam contra usum a Festo s. v. et Livio (I, 36) traditum post 'suffragiis' posuit; quin etiam adeo doctum sibi finxit librarium, ut ipsum de suo penu loco illo sollemni quidem, sed quem hic ineptum esse iudicat, numerum inseruisse putaret eundemque, posteaquam *inisse* abiisset in *esse*, duo priora imperfecta *haberet* et *esset* temporibus praesentibus mutasse, sed (miro mutandi taedio captum) quae sequebantur imperfecta intacta reliquisse. denique conlatione codicis de h. l. a Mommsenio instituta et a Du Rieuo et Detlefsenio adfirmata docemur m. 1^{am} non *et suffragiis*, qua scriptura Huschkius nisus est, sed *cum et suffragiis* exhibere.

Brevi post quam Huschkius alteram suam, quam modo recensui, emend. in medium protulit Langius [1]) hanc in formam genuinam lectionem restituisse sibi visus est: *nunc rationem videtis sequutum esse talem, ut aequato equitum certamine, cum esset suffragiis IX prima classis addita, centuriae octo solae si accesserunt, confecta esset vis populi universa.* non sine magno ingenii acumine hanc emend. commentus est ac probare studuit, sed iusto violentiorem eum sese gessisse in constituendo quem voluit genuino verborum contextu primo obtutu adparet, praesertim cum nusquam similem in modum qualem hic Langius statuit Ciceronis de rep. libri in hoc cod. corrupti esse videantur. neque enim solum duo cola ut glossemata e marg. archetypi in

1) Nov. Mus. Rhen. vol. VIII. p. 616 sqq.

cod. Vatic. inepte irrepsisse censet, sed etiam alia verba omissa esse, alia mutata. qua ratione posteaquam 1^{ae} m. lectionem purgasse sibi visus est, haec in archet. exstitisse sibi persuasit: *nunc rationem videtis esse talem, ut equitum certamine cum et suffragiis et prima classis addita centuria octo solae si accesserunt, confecta esset vis populi universa.* ac prioris quidem glossematis *quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data* hanc commentus est causam, quod interpolator (quem vide quanta fuisse doctrina statuat!), cum ex Livii l. I, 43 1^{ae} classis centt. LXXX fuisse, ex hoc ipso vero loco minorem suffragiorum partem XCVI centt. effecisse cognovisset, primum quidem ad explendam maiorem centuriarum partem simulque locum corruptum intellegendum Livii verba 'additae huic classi duae fabrum centuriae' adhibuisset, tum vero, cum nihilo setius ratio non constaret, ex ingenio suo verba *VIIII centurias tot enim reliquae sunt* addidisset. sed ut re vera ea fuerit doctrina interpolator quam L. ei tribuit, cur tandem quaeso Livium secutus non duas fabrum centt. 1^{ae} classi adiunxit? cur accusativum *centurias* omni sensu destitutum scripsit? quid est quod ad sanandam loci corruptelam, qua fuit sagacitate, adeo nihil contulerit, ut vel summopere eam augeret? sed iam videamus quaenam interpolationis indicia prae se ferant duo illa cola! in priori igitur primum offensionem ei movit quod 'centuria fabris est data' male dictum esset ubi dici oporteret 'suffragium cet.' sed eodem significatu voces 'centuria' et 'suffragium' usurpari notissimum illud 'sex suffragia' docet, praeterea vero quem ipse L. laudat DH. IV, 16 peraeque dicit: δέκα λόχους ἀποδοὺς τοῖς νεωτέροις, itaque eo minus in verbis illis quidquam inest difficultatis, quia modo suffragii vox antecessit. tum in eo offendit quod verba 'ad summum usum urbis' ancipitem sensum praeberent, sed quam ipse a ratione abhorrere dicit explicationem quasi Cicero dicere voluerit 'ut hoc suffragium s. haec centuria summam urbi praebeat utilitatem', hanc ne quis in h. l. inferret Ciceroni minime verendum erat. in altero colo illud ei movit offensionem quod IX centt., quas ipse pro dimidia equitum parte accipit, post 1^{am} classem commemoratae essent. sed IX illas centt. m. 1^{a} traditas equitum fuisse non minus arbitrarie statuit quam

cetera quae de h. l. protulit. praeter duo enim illa glossemata vocem *equitum* in causa fuisse arbitratur, quod et *aequato* et *sequutum* intercideret, insuper *esset* in *et* itemque *IX* in *et* abiisse et *centuriae* p. *centuria* legendum esse.

Sed etiam in ipsa quam protulit emend. sunt quae parum probabilitatis in se habere videantur. primum quod de Huschkii coniectura *inisse* dixi, quam quominus quis suae ipsius praeferat nihil moratur, idem de hac valet, tum quamquam *aequato equitum certamine* h. l. non nisi de comitiis intellegi potest, tamen *centuriarum* vel *suffragiorum equitum certamine* certe exspectamus. gravioris autem momenti esse videtur quod IX suffragiis LXXX 1^{ae} classis centurias additas esse ut Cicero dixerit fieri vix potest. ceterum iam id ipsum quod emendatam scripturam ex libidine fictam esse censet ne quid eius coniecturae tribuamus monere nos debet.

Restat ut Urlichsii [1]) emendationem commemorem qui haec legenda proposuit: *nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriis duodecim et suffragiis primae classis, addita centuria, quae... data, IIII centuriae solae si accesserunt, confecta esset vis populi universa* in reliquis Ritschelium secutus. ac priora quidem verba quomodo sic ut a m. 1^{a} exstant corrumpi potuerint hac ratione explicare studet: *tamine cum* (above: *equitum cer*) corruptum esse sive ex hac scriptura *t. duodecim* (above: *equitum cen*) sive ex hac altera *turis... ecim* (above: *equitum cen*), in reliquarum autem mutationum origine docenda Ritschelium sequitur, nisi quod *data VIII* in archetypo ex *data IIII* corruptum esse statuit, praeterea *primae* in *prima* abiisse, *et* post *suffragiis* male repetitum, *centuriae* in *centurias*, *esset* in *est* depravatum esse. paleaographica igitur, quam vocant, ratione Urlichsii emend. parum videlicet commendatur. tum quod ad sententiam adtinet in eo nititur quod Cic. eum ordinem secutum secundum quem ipsius aetate centuriae suffragia tulerint cum Ser. Tullii temporibus confuderit. eum vero Ciceronis aetate suffragationis ordinem fuisse ut XII equitum

1) Nov. Mus. Rhen. vol XIV.

centt. plebeiae ante 1^{am} peditum classem, sex suffragia autem, quae vocantur, postea munere fungerentur, cum Niebuhrio Mommsenio aliis ex Cic. Phil. II, 33 et Liv. XLIII, 16 conligi posse arbitratur. [1]) sed priori loco 'ecce Dolabellae comitiorum dies: sortitio praerogativae: quiescit. renuntiatur: tacet. prima classis vocatur: renuntiatur deinde: ut adsolet, suffragia: tum secunda classis: quae omnia sunt citius facta quam dixi' falso Niebuhr. 'sex suffragia' Ciceronem sibi voluisse putavit, [2]) cum nusquam numero non adiecto commemorentur. multae de eo loco in medium prolatae sunt conjj., quarum in numero est etiam Urlichsii [3]) haec: *deinde, ut assolet, it suffragatum secunda classis*, quam nunc iam missam faciat novae coniecturae gratia necesse est; sed etiam ipsam per se falsam esse recte monuit Gerlachius, [4]) cum 'suffragari' non idem valeat quod 'suffragia inire', sed 'adsentiri.' omnium maxime veri similis videtur esse emendatio Garatonii et Zumptii etiam a Madvigio [5]) comprobata sc. alterum *renuntiatur* delendum esse. quod nisi forte 'sex suffragia' temere quis coniectura in hunc locum inferat, ex hoc quidem de VI suffragiis nihil conligi potest. nec magis alterum locum huc cadere docuit Marquardtius. [6]) etenim si verba 'prior Claudius causam dixit: et cum ex XII centuriis equitum VIII censorem condemnassent multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis ... vestem mutarunt' cum universo loci tenore conferas, ex quo optimates a Claudii causa stetisse, populares adversarios eius fuisse adparet, Marquardtio nescio an adstipuleris arbitranti, cum VI suffragia Claudium absolvisse per se intellegeretur, hac de causa Livium id solum dixisse XII plebeiorum equitum centurias illum condemnasse. nihil aliud autem in universum de mutato suffragationis ordine constare nisi centuriae praerogativae sortitionem esse factam Marquardtius Langius [7]) alii consentiunt. quae cum ita

1) quamquam idem Urlichs. in Nov. Mus. Rhen. 1842 p. 411 adn. hanc rem in medio reliquit et ex loco Ciceronis nil effici posse ait.

2) quod idem probare studuit Pluess. in Fleckeisenii annal. 1868 p. 542.

3) Nov. Mus. Rhen. 1846 p. 153.

4) 'Histor. Studien' vol. II p. 208.

5) opusc. acad. I p. 169.

6) Antiq. Rom. vol. II sect. 3 p. 15 sqq.

7) Ant. Rom. II p. 453.

sint, coniectura nisa coniectura, qualis est Urlichsii, ipsa per se parum veri similis est. quod autem contra Ritschelii et Langii emendd. monui de spreta m. 2^{ae} auctoritate etiam de hac Urlichsii valet.

Quodsi neque interpretatione neque emendatione locum hunc ita constitui posse cognovimus, ut de prima peditum classe Cicero cum Livio et Dionysio conspiret, nihil aliud reliquum esse videtur, [1]) nisi ut errorem a Cicerone commissum statuamus, sed tamen non ita ut Ritterus [2]) fecit, qui Ciceronem in addendis quae maiorem suffragiorum partem efficerent centuriis lapsum esse ratus sc. LXXXVIIII p. IC centurias conlegisse eo usque erroris eum profectum esse putat, ut CIV, non XCIV centt. restare itaque VIII centt. ad explendam maiorem partem adiciendas esse censeret. eiusmodi quid Ciceroni accidisse nescio an nulli persuaserit.

Sed altera etiam restat erroris explicandi ratio iam a Rud. de Raumer [3]) Beckero [4]) Gerlachio [5]) Ritschelio [6]) Schweglero [7]) aliis proposita sc. Ciceronem, quem satis mediocri rerum antiquarum cognitione fuisse nemo hodie negabit, re vera falsum 1^{ae} centuriarum classis numerum statuisse et hac quidem re deceptum quod eum quem ipsius aetate fuisse constat numerum i. e. LXX in animo habuerit. quam sententiam facere non possum quin summopere comprobem, cum praesertim 1^{ae} classis suffragia non minus V centuriis superiora ceteris (99 : 94) ut Ser. Tullius institueret minime usum fuisse, sed si una centuria 1^{a} classis praevaleret satis fuisse Cicero, ni fallor, computaverit. verum tamen minime crediderim quod Raumer. contendit Ciceronem cognitos quidem habuisse veros centuriarum antiquarum numeros,

1) nisi forte adeo iam in archetypo contextum verborum corruptum fuisse suspicamur, ut in genuinam formam restitui nequeat. sed non est cur ad hanc desperationem adducamur.

2) Nov. Mus. Rhen. vol. I p. 575 sqq.

3) l. c. p. 50 sqq.

4) Antiq. Rom. vol. I p. 207 sq.

5) 'Hist. Stud.' II p. 239.

6) l. c. p. 318.

7) H. R. I p. 93 sqq.

sed nihilo minus eum ordinem qui ipsius aetate esset Ser. Tullio adscripsisse. 'etenim ait' antiquitates Romanas perscrutari nequaquam voluit Cicero in libris de rep., sed id solum spectavit ut optimae rei publicae imaginem nobis proponeret.' at vero nescio quid fuerit cur non re vera quo ad eius fieri posset ipsam illam rationem a Tullio rege institutam descripturus esset, cum praesertim potiorem procul dubio eam iudicaverit eo ordine qui ipsius aetate obtinebat.

Alia adferri possunt quae huc cadere videantur e. c. quod eum qui ipsius aetate obtinebat dicendi usum secutus Cicero 'patres' etiam antiquissimis rei publicae temporibus senatores significasse falso putavit [1] (cf. II § 14, § 25, § 35), nec minus quod ∞DCCC [2]) fecisse equites Tarquinium Priscum narravit, quibus XII equitum centt. a Ser. Tullio institutae si accesserunt, iusto maior videlicet equitum numerus fuisset, quam ut ad peditum centt. conveniret. [3]) sed iam ob id ipsum non nisi errore illo captum Ciceronem falsa tradidisse statuamus locus hic vexatissimus intellegi posse videtur, quia neque in emend. ulla neque in alia explicatione medelae quidquam inesse nescio an satis probatum sit.

Accepta igitur hac sententia minime artificiosa emendationem m. 2^{ae}, nisi quod levissima mutatione *habeat* in *habeant* ac fortasse *est* scriptura m. 1^{ae} in *esset* corrigendum videtur, rectissime sese habere iam supra cognovimus, itemque manifestam lacunae quam m. 2 supplevit originem docuisse mihi videor. ex archetypo autem supplementum illud petitum esse et ex ipsa huius loci indole consequitur, qua de re supra exposui, et in universum emendatorem non eum fuisse vidimus porroque videbimus cuius ex ingenio talia fluxerint. idem prorsus de ceteris huius loci emendd. valere debet, ac de prima quidem differentia *equitum certamine cum et suffragiis* m. 1—*equitum centuriae cum sex suffragiis* m. 2 omnes fere qui h. l. tractarunt non de suo ingenio emendatorem lectionem hanc sumpsisse consen-

1) cf. Schwegler. H. R. vol. I p 656 sqq. cf p. 688.

2) sic recte sine dubio II § 36 C T Zumptius ('Abhandl. der Berlin. Akad.' 1839 p. 76) scribendum duxit, cum in cod. exstet ∞*ACCCC*.

3) cf. Schwegler. l. c. p. 757 sq.

tiunt. nimirum cum per se sana est, tum quomodo in corruptam illam quam m. 1 praebet scripturam abierit facile est intellectu. nam pro similitudine verborum videlicet maiore quam qua fretus e. c. Urlichs. hunc locum corrigere adgressus est eo facilius ut librarius stupidus simulque oculis deceptus *certamine* scriberet fieri potuit, quod post 'equitum' commemorationem lapsus ille proclivis erat. nec minus *sex* cum *et* confundi potuit, cum praesertim proxime eadem vocula sequeretur. restat ut etiam numerum *VIIII* procul dubio corruptum ex libro eum mutasse in *LXXXVIIII*, numerum cum reliquis mire consonantem, statuamus necesse sit.

Itaque ex hoc quoque loco celeberrimo, qui pro gravitate rei uberius tractandus esse mihi videbatur, quanti emendationes m. 2^{ae} aestimandae sint cognosci licet.

Sub fin. eiusdem cap. a m. 1^{a} exstat *ancensis* corr. m. 2^{a} in *accensis*, quam emend. in suspicionem vocavit Bergkius [1]) 'ancensis' idem valere atque 'incensis' contendens. sed vellem argutiis pepercisset vir doctissimus, cum accensorum nomen uno omnium scriptorum testimonio firmatum sit. cf. e. c. Fest. s. v. 'adscripticii' veluti quidam scripti dicebantur qui supplendis legionibus adscribebantur. hos et accensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti. quidam velatos, quia vestiti inermes sequerentur exercitum.' hinc et etymologia notioque vocis patet et comma Niebuhrii maxime auctoritate a veterioribus edd. interpositum inter 'accensis velatis' delendum esse. [2]) quemadmodum l. h. mutilum 'quin etiam accensis velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis***' dd. vv. restituere conati sint referre supersedeo, cum nulla ex eis quae adhuc in medium prolatae sunt coniecturis centuriarum rationi satisfacere videatur. equidem putaverim non solum capite censorum in eis quae interciderunt mentionem esse factam, sed etiam fabrum aerariorum, quos cur Cic. praeterire debuerit nullam video causam; immo postquam fabrum tignariorum centuriam 1^{ae} classi adiectam fuisse narravit, fieri non potuit quin illos uni ex inferioribus classibus et 2^{ae} quidem,

1) Philolog. vol. XIV p. 184.

2) cf. Huschk. l. c. p. 170—183. et Goettling. l. c. p. 250 sqq.

ut mihi videtur (cl. DH. IV, 17 et VII, 59), tribueret.[1] neque enim hac centuria accepta ratio centuriarum, quarum summam fuisse CLXXXXIII Cic. dicit, confundi videtur, si quidem Langio[2] adstipuleris arbitranti accensos velatos non ad unam aliquam centuriam, sed ad 5^{am} classem totam referendos esse. X autem illae centt. quibus Cic. 1^{am} classem minuit uni ex inferioribus IV classibus secundum eius computationem accessisse videntur. quamquam fieri etiam potest ut eam quae inter 5^{ae} classis et proletariorum censum relicta est civium partem ipsi illi accensi velati effecerint, cum Liv. falsa de eis rettulerit, Dionys. omnino eorum non fecerit mentionem. cui sententiae minime veritatis specie destitutae atque etiam ab Hertzio, praeceptore inlustrissimo, in scholis prolatae si adsentiaris, nescio an hanc Ciceronem instituisse computationem veri simile sit ut ad accensos velatos X illas centt. referret. qua in sententia gaudeo cum Huschkio[3] paene me consentire, qui ipse quoque X centt. accensorum velatorum fuisse statuit, sed 5^{ae} classi eos adscripsit. iam igitur, ut libere quid sentiam loquar, haec a Ser. Tullio instituta fuisse ratio mihi videtur, ut 1^{ae} classi LXXX centurias, IV inferioribus vicenas tribueret, tum accensi velati eo quem dixi censu X centuriis adscripti infra 5^{am} classem locum obtinerent, quos liticinum, cornicinum, proletariorum[4] III centuriae exciperent. accedunt XVIII centt. equitum et II fabrum, quae utrum 1^{ae} an 2^{ae} classi an utrique adiectae fuerint diiudicari nequit.

§ 43. *ut tum et romae* m. 1 — *ut tum fuit romae* m. 2, qua emend. sine dubio recta (cf. quae sequuntur vv. 'ut fuit aput nostros reges') solus Halm. non adquiescendum putavit, itaque coniecit *erat*, quod num facilius quam *fuit* in *et* abire potuerit valde dubito. nec minus falso in ea quae sequitur emend. m. 2^{ae} Halm. et Bait. auctore Steinackero haeserunt. haec enim um scripta essent m. 1^{a}: *quamuis in ea sit et senatus ut....*

1) cf. Reisig. l. c. p. 309 et Goettling l. c. p. 249.

2) Antiq. Rom. I^{1} p. 347 sq. cf. p. 356.

3) l. c. p. 169 sqq.

4) proletariorum autem centuria posteriori demum aetate accessisse videtur, cf. Lang. A. R. I^{1} p. 344 sqq. et p. 357.

legibus ut et sit aliquod etiam populi ius, recte m. 2 *ut* post *et* transposuit. ita videlicet Cic. orationem instituit, ut dicturus esset 'quamvis in ea sit et senatus et aliquod etiam populi ius', sed cum duo cola interposuisset, paene necesse erat inverti orationem; at cum elegantior esset Cic., quam ut eandem vocem 'quamvis' repeteret, eadem vi particulam 'ut' in alterius membri initio substituit, quam licet cum eis quos modo laudavi edd. e contextu removeas, tamen mente particulam, quam vocant, concessivam subintellegas necesse sit. quod autem Os. 'et' ante 'senatus' eadem vi positum esse qua mox in altero membro 'etiam' existimat, refutatione non dignum videtur. — In ead. hac § a m. 1^{a} exstat *omneque*, a m. 2^{a} *omnique*, qua de emendatione unus Mos. addubitavit inepte ratus in elocutione 'unius perpetua potestate et iustitia omnique sapientia' pronomen 'unius' non commode trahi at 'omnique sapientia,' itaque prorsus otiosam suam conj. 'omninoque' in locum traditae lectionis substitui voluit.

§ 45. *cuius* (i. e. *orbis) naturalem motum adque circuitum a primo discite adgnoscere*, sic m. 2 corr. ex vitiosa scriptura m. 1^{ae} *discite adq. cognoscere.* vanos in hunc locum corrigendum labores impendisse mihi videntur dd. vv. Mai. Heinr. Mos. Wolff. Franck., quorum commenta non est quod recenseam, cum non ulla laboret difficultate lectio emendata. nam de voce 'a primo' vere Tulliana v. Madvigium ad Cic. de finn. III c. 9 § 32 p. 401, verba 'adgnoscere' et 'cognoscere' promiscue usurpari notum est apteque illud ad ea quae sequuntur 'videre itinera flexusque rerum publicarum' quadrare videtur cl. Plinii vv. 'alienis pedibus ambulamus, alieni s o c u l i s a g n o s c i m u s,' nec denique in elocutione 'discite adgnoscere' magis offendi licet quam si in vernacula lingua dicamus 'verstehen lernen', cf. II § 51 'quem virum facite ut agnoscatis.' apte etiam Maehly.[1] lectionem emendatam tuitus est cum diceret: 'es liegt das streben darin etwas zu erkennen, sich anzueignen, womit eben auch ausgesprochen ist, dass diese erkenntniss zeit und weile haben muss.' accedit quod facillime librarius ad superius *adque* aber-

1) 'Zeitschr. f. d. Gymnasial-Wesen' 1867 p. 812.

ravit, corrector autem si de suo illud emendasset, vix *adgnoscere*, sed de more suo recentiorem formam posuisset.

§ 48 *liberata iam*, quod facillime post *etiam* intercidit, m. 2^{a} suppletum est, quod additam. omnino sanum cur Halm. suo commento *libera iam* mutare velit nescio.

§ 52 prave veteres edd. scripturam *possit* praebuerunt, dum Os. *posset* conj. suam iure in textum recepit, quam insuper emendatione m. 2^{ae} adfirmari Du Rieu. testatur. quod igitur Madvig. olim *possit* delendum statuit, nunc iam missum faciat necesse est. — In eadem § duplex nobis occurrit correctio haec: *in amplissumũã r. p.* del. *ũ*, cui superadd. *a.* fort. macula aliqua deceptus librarius *a* p. *ã* accepit, Halm. autem vituperandus est, quod vitiosa hac scriptura nisus spreta emend. m. 2^{ae} unice recta legi voluit *non in umbram et imaginem civitatis, sed in amplissimam remp.*, quae verba quidnam sibi velint fateor me perspicere non posse. immo in amplissima re p. i. e. Romana, non in umbra et imagine civitatis i. e. Platonicae causam cuiusque et boni publici et mali explicare sese velle Cic. profitetur. cf. § 51 init. 'forma et species et origo tyranni, inventa nobis in ea re publica, quam auspicato Romulus condiderit, non in illa quam, ut perscripsit Plato, sibi ipse Socrates .... depinxerit.'

§ 55. *ut equidem intellego* m. 1 — *ut ego quidem i.* m. 2, quam emend. Halm. et Bait. falso repudiarunt, atque etiam Du R., patronus ille m. 2^{ae}, scripturam m. 1^{ae} praetulisse videtur.

§ 56. 'quodque erat ad optinendam potentiam nobilium vel maximum cet.' vocem *optinendam*, quam ne pro glossemate habeamus ipsa scriptura monere videtur, auctoribus Biondio et Bettio [1]) uncis incluserunt Halm. et Bait. nulla alia scilicet de causa nisi quod m. 2^{a} addita est.

§ 57. *sed id quod fieri natura rerum ipsa cogebat ut plusculum sibi iuris populus adscisceret liberatus a regibus.... postumo cominio sp. cassio consulibus consecutus est*, sic corr.

---

1) in ed. fragm. Vat. ab Odescalchio facta (Bononiae 1826).

on
m. 2, nam cum teste Du Rieuo cod. scriptura haec sit *consecututusegutus*, sine dubio m. 2 *consecutus* sibi voluit, itaque et *c* lit. et puncta s. lineolas quibus perversam dittographiam deleverit evanuisse veri simile est. facillime autem *con* post *cos* intercidere potuisse quis neget? neque etiam quidquam difficultatis in se habet lectio emendata, immo optime convenit ad praegressum verbum 'adscisc.' quapropter reicienda est conj. Heinrichii *consecutum*, nedum Halmii *secutum* probem, quippe quae omnino spreta m. 2^{ae} emend. inventa sit. recte vero Mosero Heinrichii coniectura elegantiorem reddi orationem arbitranti Osann. haec oblocutus est: 'ego istiusmodi elegantiis non admodum delector, ubi non quid Cic. scribere potuerit, sed quid scripserit quaeritur.'

§ 63. *haec* (sc. *conubia*) *illi* (i. e. *Xviri*) *ut ne plebei cum patribus essent inhumanissima lege sanxerunt*, sic m. 2 corr. ex scriptura m. 1^{ae} *plebi et patribus.* quam emend. non ex libidine correctoris, sed ex libro fluxisse ipsa docere videtur scriptura *plebei*, quippe quam paulo inferius idem in *plebi* mutaverit. quod autem Heinrichio auctore Mos. in lectione m. 2^{ae} offendit, quia vicissim vetitum esset utrisque conubium ipsaque legis verba 'patrebos cum plebed conubia nei sunto' aliter essent composita, recte contra monuit Os. Ciceronem ex plebeiorum mente verba facientem inhumanissimam dixisse legem illam, quippe qua plebeii prohiberentur, quominus cum patribus conubia inirent. cf. Flor. I, 25 'tertiam seditionem excitavit matrimoniorum dignitas, ut plebes cum patriciis iungerentur.' etiam Halm. et Bait. falso emendatam scripturam reiecerunt. — In ead. § adverbio *libidinose* m. 2 adiunxit *q.*, quo additamento ne anacoluthiam in hunc locum inferrent, Halm. et Bait. melius duxerunt umbratili quadam diligentia tamquam ad calculos vocatam durissimam et contortam Ciceroni tribuere complexionem verborum, quae ut uno spiritu volvi possit vereor. quapropter gratam illam neglegentiam cum ceteris edd. servandam existimo, qui recte cognoverunt *qui* ad *praefuerunt* mente referendum esse ac turbatae constructionis rationem a longioris periodi implicatione ortam esse. itaque etiam *quibus*, quod Zachariae.

delendum putavit servari debet: Moserus autem, cuius de coniectura recentissimi edd. *que* abiecerunt, recte fecit quod explicationem illam periodi multo duxit veri similiorem. ceterum quod Maehly. [1] sententiam *ergo . . . reip.* post *praefuerunt* transponi iussit, temere fecisse videtur, namque *ergo* aperte spectat ad verba superiora 'quem (i. e. statum) dixi iam saepe non posse esse diuturnum.' neque etiam eiusdem d. v. conj. *in quibus* opus videtur.

§ 69. *uideo uideo iam illum quem expectabam uirum* m. 1. quamquam teste Maio alterum *uideo* expunctum est (quod enim Du R. non nisi sup. litt. *deo* puncta vidit nihil refert), tamen Heinr. et Orell. geminationem retinuere, quae quam sit ab hoc loco aliena per se intellegitur.

III § 26. *qui in hac causa eo plus auctoritatis habent* m. 2 teste Maio, cum Du R. lit. *h* superadditam non iam viderit, *in ea causa* m. 1. nescio equidem quidnam correctionem m. 2^{ae} suspectam reddat, immo vero quod levissima interest differentia utrum scribamus, eo ipso probari videtur non de conj. m. 2^{am} correxisse. accedit quod ob seq. lit. *c* eo facilius *hac* in *ea* abire potuit. similis nobis occurrit emend. I § 58 haec: *ea uero* m. 1— *ista uero* m. 2. quod autem Otto apud Osann. in excursu XII *κακοφωνίαν* quam in verbis 'ea causa eo' inesse putat nihil valere ad textum constituendum dicit, pace mea dixerit, sed ut ultro illam inferamus contra m.2^{ae} auctoritatem, id credo minime inde proficiscitur.

§ 45. *nehiqum* m. 1— *nehicqum* m. 2 teste Detlefsenio, sed Mai. et Du R. etiam *q.* lit. post *ne* viderunt. Halm. coniecit *ne hic quidem cum*, sed *c* vel *q* lit., si quidem re vera non exstat vel potius non exstitit in cod., facilius multo quam totam vocem *quidem* conlatorem in corrigendo fugisse consentaneum videtur. sin iam in arch. eam omissam fuisse censet, tamen multo videtur esse probabilius *nec hic* quam quod H. coniecit genuinam fuisse lectionem.

§ 47 'hic Scipio "adgnosco" inquit "tuum morem istum, Spuri, aversum a ratione populi. set quamquam potest id lenius

1) l. c. p. 813.

ferri quam tu soles ferre, tamen adsentior nullum esse de tribus his generibus quod sit probandum minus." haec Halm. et Bait. praebent. Mai falso testimonio nisus qui *amauersum* in cod. exstare adnotaverat (immo *amuersum* scriptum exstat testibus Du Rieuo et Detlefsenio) Mos. scripsit *tam aversum.* facillime vero in vicinia tot literarum earundem una eius generis in alienum locum irrepsit. itaque etiam Osanni reiciendum est commentum, qui de reprehensione populi hic esse sermonem ratus in quam Spurius ob popularis imperii odium incurrerit in vitiosa cod. scriptura *amauersum* latere *animadversum* et in *a ratione* aliud quiddam unde pendeat *populi* suspicatur. quae conj. omni probabili ratione destituta est. inesse tamen difficultatem in scriptura *populifiet* concedo, quamquam non eam quae absque novis scripturae subsidiis numquam satis expediatur, ut Os. statuit. neque vero Mai coniectura *populari et* neque Moseri *populari sed* ac ne Halmii quidem *populi set* expedivisse illam videtur. equidem non dubito quin falsa dittographia in arch. scriptum fuerit *populiliet*, id vero librarius pro *populifiet* acceperit, ut iam *populi et* legendum mihi videatur (cf. V § 6 *adflictis* m. 1— *adelictis* m. 2). quid autem illud sit quod lenius ferri posse quam Sp. Mummius soleat ferre dicatur, patet ex eis quae proxime antecedunt: 'sed tamen vel regnum malo quam liberum populum; id enim tibi restat genus vitiosissumae rei p. tertium.' quorum cum nullam haberet rationem Os., vulgi esse de Spurio existimationem male interpretatus est; immo videlicet populi imperium intellegendum est, cf. I § 26 'vel ipse populus (quamquam id est minime probandum) tamen nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo esse non incerto statu,' quae verba hisce admodum congruentia idem Scipio loquitur [1]).

§ 47 et Mai. et Du R. in conferendo cod. falsi sunt, quo-

1) ceterum imperium illud liberi populi non esse *ὀχλοκρατίαν*, sed *δημοκρατίαν* oppositam *βασιλείᾳ* et *ἀριστοκρατίᾳ* contra Maium recte Lehner. contendit, cf. I § 26 et quae h. l. paulo inferius leguntur 'nos autem de iniusto rege nihil loquimur nunc, cum de ipsa regali re p. quaerimus.' idem nimirum valet de populi dominatu.

rum ille *fortannon* in cod. exstare et sic legendum esse dicit inauditam vocem in Latinum sermonem inferens, hic *forta* quod primo scriptum fuerit in *forte* correctum esse, librarium vero *fortasse* sibi voluisse adnotat. sed in restituendo hoc loco conclamato operam perdiderunt dd. vv., cum post Detlefsenii testimonium *fortas|nontam* (syllaba *as* uno ductu spatii causa scripta) vix dubium sit, quin ex eiusdem d. v. coniectura legendum sit *fortasse non tam* sive *iam*, qua de re miror Baiterum omnino tacuisse.

VII.

Iam ingentem lustranti numerum locorum quos superiori tractavi capite et quibus omnibus m. 2am aut ipsam per se praeferendam lectionem aut certe nullo laborantem vitio aut eam denique et perpaucis quidem locis praebere cognovimus quae, quamvis ne in ipsa quidem adquiesci possit, tamen in restituenda lectione genuina sequenda sit, insuperque innumeras emendationes graviores levioresve de quibus nemo addubitavit respicienti minime dubium fore puto, quin re vera a conlatore satis diligenti et religioso, non ab interpolatore codex Bobiensis correctus sit. has igitur correctiones omnes aut certo iudicio aut veri simili de causa aut certe ita ut rem aliter sese habere demonstrari nequeat non ex ingenio correctoris, sed ex archetypo cod. profectas esse vidimus.

Verumtamen esse nonnullas emendationes quae non libro, sed ei qui cod. contulit debeantur negari nequit. itaque primum quidem eos locos in conspectu ponam quorum rectam emendationem ut ex libro m. 2 sumpserit fieri nullo pacto potest.

I § 1 *liberauissent* ita scriptum est in cod. ut litt. *nt* in unum ductum contractae adpareant, quod cum correctorem fugisset, simplicem litt. *n* cernere sibi visus *t* supra adscripsit. quod autem eodem vitio I § 68 et duobus quidem locis librarium ipsum lapsum esse Du R. statuit, ubi haec scripta sunt *sunt|texistunt*, ne ipse falsus est, nam prius quidem verbum

plenum exaravit librarius, sed male dissectum m. 2 restituit et de suo quidem videlicet ingenio. quod idem occurrit locis his: I § 1 *tusculis|e* expuncta *s* et posteriori versui data, in ead. § *umdi|set* m. 1— *undis|et* m. 2, § 8 *retamqu|illum* m. 1— *et tranquil|lum* m. 2, § 41 in *hic|octus* lit. *c* erasam m. 2 sequenti versui continuavit, peraeque § 48 *dominis|int* correxit itemque *dominationes|olere*, § 50 *concessus|et* m. 1— *concessu|set* m. 2, § 52 *impera|talis* m. 1— *imperat|alis* m. 2, § 64 *memoran|to* m. 1 — *memorani|o* m. 2, § 68 *u|t* m. 1— *ut|* m. 2.

II § 4 *amul|io* m. 1— *amu|lio* m. 2, § 7 *hi|c* m. 1— *hic|* m. 2, § 9 *grai|s* m. 1— *grais|* m. 2, *qua|m* m. 1— *quã|* m. 2, § 20 *fertu|r* m. 1— *fertur|* m. 2, § 21 *princep|s* m. 1— *princeps|* m. 2, § 33 *pos|t* m. 1— *post|* m. 2, § 39 *ui|s* m. 1— *uis|* m. 2, § 69 haec exstant in cod.: *infimis|* . . *mediis*, h. l. esasas esse litt. *is* opinatur Du R. male dissectas m. 1a, cum Mai. *et mediis* scriptum esse dicat, idemque *et interiectis* in cod. se legisse testatur, qua de scriptura Du R. tacet. hoc nisus testimonio Halm. auctore Maio lectionem non solum Augustini codicibus repugnantem, sed etiam ipsam per se falsam, ut mihi quidem videtur, dedit hanc: *sic ex summis et infimis et mediis et interiectis ordinibus ut sonis cet.* (*et mediis interiectis* Augustini codd.) sed qui ex illa lectione efficiuntur ordines quattuor minime ad sententiam h. l. quadrant, qua de re v. Mos., itaque metathesi voculae *et* in cod. Vat. accepta cum Augustino legendum est *sic ex summ. et inf. et mediis interiectis cet.*

De orthographicis emendationibus res difficilis videtur esse diiudicatu. ac librarium quidem cum non de industria exemplaris archetypi scripturam mutasse iam puto inter nos constet (cf. cap. IV), sequitur ut si quid in ortographia a librario peccatum esse videamus cum archetypi menda tum ipsius lapsus statuamus. et hos quidem errores, etiam si qui librarii neglegentia commissi sint, iam ab eo ipso correctos esse cum per se parum veri simile est, tum eundem identidem errorem ab uno eodemque scriptore commissum esse posteaquam illum adgnoverit atque correxerit quis credat? quodsi correctori, non librario

emendationes orthographicae tribuendae videntur, tamen quis quaeso ex ipsius ingenio omnes sumptas esse nobis praestet? immo vero bonam partem ad archetypi scripturam referendam esse crediderim, cf. quae hac de re cap. V. disserui.

b et *u* litt. in cod. confusas m. 2 recte restituit locis his: I § 1 *bis*, § 2 *lauoribus*, § 4 *siui*, § 7 *lauoris*, § 9 *perubreuiter* del. *u*, § 13 *prouabiles*, § 14 *dauant*, § 25 *uello*, § 48 *inuecillis*, *uelli*, § 53 *triuunt*, § 54 ****uem* [1]), § 60 *liuidines*, § 65 *gustabit*, *liuidini*, § 67 *pribatum*, II § 12 *collocabit*, § 13 *adscibit*, idem § 25, § 34 *insitiba*, § 35 *appellabit*, idem § 50, § 36 *bouisse*, § 63 *probabisse*, § 64 *laudabisse*, III § 7 *bolscam*, § 15 *bellet*, § 23 *iobis*. aliis locis m. 2 erratum praetermisit, velut I § 16 *bita*, II § 60 *accusabit*, *mactabit*, III § 21 *iuuet* cet.

Saepissime sine dubio iam in exemplari arch. *ae* et *e* litt. inter se confusae exstiterunt, quo potius referendum videtur quam, ut Schuchardtius [2]) statuit, ad vulgarem quae illa aetate obtineret pronuntiationem, quod sescenties librarius ipse quoque non solum *e* p. *ae* et *ae* p. *e* scripsit, sed etiam *a* p. *e*, cuius in locum haud raro in arch. monogramma *æ* substitutum fuisse credo; quo eodem monogrammate, ni fallor, deceptus librarius compluries *a* p. *ae* scripsit, praeterea autem etiam *e* p. *a* et *ae* p. *a* male exaravit. quorum mendorum maximam partem corrector noster diligenter emendavit. sunt vero heac:

e p. *ae* maxima ex parte occurrit in scriptura pronominis *quae*, exstat enim *que* a m. 1ª, *quae* a m. 2ª locis his: I § 13, 19, 22, 29, 30 (bis), 33 (bis), 41, 44, 45 (bis), 47 (bis), 60, 62, II § 8, 22, 27, 37, 39, 43. nonnumquam etiam *q.* a m. 1ª, *quae* a m. 2ª: I § 47, II § 42, 45, 50, 61, III § 3, duobus denique locis (I § 3 et 5): *q.* a m. 1ª, *q.̃* a m. 2ª. praeter voculam *que* in *quae* correctam *a* superadditam *e* literae locis his repperi: I § 5 *graecie*, § 14 *fierie* del. *fi* et supra adscr. *f* et *a*, § 22 *uage*, *terre*, § 25 *reputate*, § 30 *iste*, § 31

1) Mai. supplevit *pro-bem*, sed ex Detlefsenii apographo pagellarum folii lacerati nescio an iure conligamus in quarto pag. versu post *regium* plus tribus litt. exstitisse, itaque *ego pro-bem* cod. vestigiis nec minus sententiae respondere mihi videtur.

2) 'Vocalismus des Vulgärlateins' vol. I p. 222 sq.

querit (saepius multo falsam huius verbi scripturam integram reliquit m. 2, veluti bis in eadem hac §), § 34 *persepe*, II § 16 *quante*, § 32 *bellice*, § 34 *grecia*, § 57 *sepa* corr. in *saepa*, sed fort. *e* supra *a* lit. evanuit, ut I § 12 in *paena* etiamnunc vestigium lit. *e* adparet. III § 14 *perse* corr. in *persae*, § 26 *premium*.

Aliis locis m. 2 *e* supra adscripsit, postquam *a* lit. delevit vel certe deletam voluit, non semel vero notam *a* literae delendae evanidam factam esse non est quod moneam. sed monendum videtur Schuchardtium l. c. falsa tradidisse cum doceret *ae* syll. sibi voluisse m. 2ªᵐ locis his, quos c. c. adtulit: I § 11 *necessitat$\overset{e}{a}$*, § 17 *r$\overset{e}{a}$s*, § 23 *ill$\overset{e}{a}$*, § 29 *qu$\overset{e}{a}$m*, § 53 *maxim$\overset{e}{a}$*, III § 3 *inpr$\overset{e}{a}$ssit*, V § 3 *interpr$\overset{e}{a}$tatio*. namque omnibus his ll. re vera *a* lit. deleta adparet praeter I § 17, ubi in scriptura *r$\overset{e}{a}$s* non minus *a* deletam voluit m. 2 quam III § 3 in *inpr$\overset{e}{a}$ssit*, qua de voce opinionem meam per se vix dubiam adfirmatam video eo quod I § 10 in *praematur* lit. *a* deletam esse Du R. testatur. praeterea huc pertinent ll. hi: I § 1 *aliqu$\overset{e}{a}$m*, § 12 *paen$\overset{e}{a}$* cor. in *paene*, nam cernitur vestigium *e* literae, § 23 *ill$\overset{e}{a}$*, § 53 *maxim$\overset{e}{a}$*, eadem corr. § 65, § 55 *pararare* corr. in *parerere* (sic!), II § 12 *h$\overset{e}{a}$c*, § 47 *qu$\overset{e}{a}$m*, punctum h. l. positum in eiusdem voculae correctura § 51 omissum aut evanidum est, contra § 65 lit. *a* deleta adparet.

ae in *a* compluries correctum est in scriptura *africanae:* I § 15, 16, 26, 46, fort. etiam II § 28 et § 64, praeterea *a* lit. deleta adparet I § 10 in *praematur*, § 17 *studiosae*, § 34 *tae*, § 65 *cauae*, § 68 *baene*, § 69 *quae*, eadem corr. II § 27 et § 45, II § 7 *saedibus*, § 8 *paeloponnesum*, § 18 *caecidit*, § 28 *imperitae*, § 60 *laeuis*, § 63 *acerbae*, III § 28 *iustae*, IV § 3 *beatae*.

e corr. in *a*: I § 16 *hermoniam*, § 24 *deieceret*, § 67 *euadent*, § 68 *repiunt*. unum denique repperi exemplum scripturae *ae* in *a* correctae: II § 7 *ullae*.

Ceteras emendationes orthographicas quas utrum ex ingenio suo an ex archetypo corrector sumpserit non ubique diiudicari potest has repperi: I § 1 *atopes* corr. in *ad.*, § 14 *atpellauisset* m. 1— *app.* m. 2, *numcisci* m. 1— *nunc.* m. 2, § 17 *philus* del. aspirata, quod ut pro corruptela habeam tantum abest, ut genuinam esse Ciceronis scripturam censeam. quamquam enim ipsius aetate aspirata nominis forma obtinebat, tamen, quia Philus ipse, quem a. 625 a. u. conloquentem facit Cic., ab aequalibus sine dubio Pili nomine nuncupabatur, consulto prisco illo nomine usus est in hoc dialogo antiquitatem redolente; neque uno h. l. forma illa servata est, sed etiam § 19 (bis), § 20, 30, 34, 37 (bis) m. 2 eam reposuit, atque adeo ipsa m. 1 eandem formam praebet locis his: I § 21, § 30, III § 5, § 8 (ter). § 30 *pacuui* m. 1— *pacui*, m. 2 (hanc emend. archetypo deberi existimo, nam de conj. quidem correctorem *pacuuii* scripturum fuisse puto cl. III § 14 p. 88 *pacuiano* m. 1— *pacuuiano* m. 2), § 33 *qam* m. 1— *quam* m. 2, § 54 *sinplex* m. 1— *simplex* m. 2, § 55 *camdem* m. 1— *cand.* m. 2, § 57 *olymphum* del. *h*, § 64 *uolumtas* m. 1— *uolunt.* m. 2.

II § 2 *teseus* m. 1— *thes.* m. 2, recte praeterea aspiratam addidit m. 2 II § 7 in *cartaginem*, § 34 *corintium*, § 6 *q,at* m. 1— *qucat* m. 2, § 12 *affirmandam* m. 1— *adf.* m. 2 (hanc emend. archetypo deberi ,eo similius est veri quod correctoris aetate forma adsimilata, quae dicitur, usitatior fuisse videtur cf. I § 14 *atpellauisset* m. 1— *app.* m. 2, II § 61 *ecfossum* m. 1— *eff.* m. 2, I § 13 *adscibit* m. 1— *asciuit* m. 2, § 60 *adfectum* m. 1— *aff.* m. 2).

III § 3 *incidid* m. 1— *incidit* m. 2, *uolumtatum* m. 1— *uolunt.* m. 2, § 15 *fluges* m. 1— *frug.* m. 2.

Denique quae supra literas male repetitas cernuntur puncta praeter eos locos quibus iam librarium ipsum errorem suum adgnovisse atque correxisse vidimus emendatoris studio tribuenda esse veri simile est. sunt vero loci hi:

I § 1 *ababaetatis*, § 27 vv. *numquam se plus agere* post *ageret* repetita, sed punctis notata, § 30 *acuacuant*, § 49 post *societas* repetita sunt, sed punctis deleta vv. superiora *ciuium teneri... si inge(nia)*, sed cum non ad finem usque iterata

sint, librario ipsi potius puncta illa deberi videntur, § 57 *homerus homerus*, § 58 post *quaerimus* repet., sed punctis deleta sunt vv. *gentem ingenia quaerimus*, § 64 vv. *eadem... permansisset* bis scripta, sed semel deleta, § 65 idem occurrit in vv. *ac... substrauit*, § 68 idem in vv. *uel in agris*, § 69 *quodquodque*, optime sibi respondere *quod et—quodque* docent Heinr. et Hand. [1]), cf. Cic. Acad. I § 37, ad fam. II, 1 § 2; sed in eo offendo cum Creuzero Moseroque, quod sententia haec, quae cum praegressa aperte cohaeret, ἀσυνδέτως adiungitur, itaque nescio an facillima sit medela, si post *fortitudinem* inseras *nam.* video etiam Maehlyum [2]) in ἀσυνδέτῳ offendisse, sed *si quidem*, quod ille vult, excidisse minus probabile videtur.

II § 2 *acuetusacuetustate*, § 5 post *aboriginumq.* vv. *facillimum.... aboriginumq.* in sequenti pag. repetita, sed punctis deleta sunt, § 6 *nene*, § 13 *matronisis*, § 14 *quequae*, § 24 vv. *qualiscumque is foret* rep., sed punctis del., § 27 post *essent* vv. *discenda.. essent* in nova pag. rep., sed puncta superaddita sunt, § 36 *equisequis*, § 40 post *suffragio* vv. *et is ualebit in suffragio* rep., sed del., § 51 post *sit* vv. *hoc... euerterit* rep., sed exp. sunt, § 56 *anniannuam*, *senatus senatus*, § 60 *haberent*, § 70 vv. *sine... esse* rep., sed punctis notata sunt, III § 27 *optimo optimo.*

VIII.

Restat ut eos loco srecenseam quorum partim otiose partim falso m. 2ª correcti esse videantur, et eorum quidem maxima pars, ut recte vidit Reifferscheidius, ad orthographiam spectat. cum enim suum esse putaret emendator ut scribendi rationem inveteratam atque obsoletam ad suae aetatis consuetudinem accommodaret, nihil aliud fecit nisi quod etiam nostra aetate in libris et Latinis et priscis vernaculae linguae, e. c. Lessingii scriptis, in vulgarem usum edendis nonnunquam fieri solet. sed

1) Tursell. vol. II p. 529.
2) l. c. p. 811.

sane non ea qua par erat diligentia et constantia hac muneris sui parte functus est atque etiam hic illic simul cum archetypi lectione ipsam illam scribendi rationem quam multis aliis locis in recentiorem mutavit in cod. transtulit cf. c. c. I § 13 p. 32, II § 31 p. 21, § 39 p. 68, § 45 p. 77, § 56 p. 78, § 63 p. 79 etc.

Primum igitur eos enumerabo locos qui orthographiae causa praeter necessitatem et contra archetypi auctoritatem ab emendatore tentati sunt.

I § 1 *otique* m. 1—*otiique* m. 2, § 3 *is* m. 1—*his* m. 2, sunt qui hanc lectionem praeferant neque ea quidem a loci huius ratione aliena videtur, sed vide ne m. 2, cui forma *is* insolita videretur, locum integrum tetigerit. § 6 *mari—marii*, § 13 *zmyrnae—smyr.*, § 15 *ali—alii*, § 25 *superioris—..es*, *lacaedemoni* (sic!) —..*ii*, *quinctilibus—quint.*, § 30 *beluarum—bell.*, *enni—ennii*, § 42 *uinclum—uinculum*, § 45 *circumitus—circuit.*, § 50 *is—iis*, § 53 *iniquissimast* —..*est*, § 60 *adfectum* del. *d* lit., cui sine dubio *f* superadditam voluit m. 2, nisi fort. re vera addita evanuit, cf. I § 14 *atpellauisset* m. 1—*appellau.* m. 2 et II § 61, § 14 *intellegi—intelligi*, § 67 *imperi-imperii*, § 68 *pracsidis* —..*iis*, § 69 *uitis* —..*iis.*

II § 10 *urps—urbs*, [1]) § 16 *bouum-boum*, [2]) § 18 *conditast* —..*est*, § 29 *regis—regiis*, idem occurrit § 32, *ullast* —..*est*, § 12 *matrimonis* —..*iis*, § 47 *deterrumum* —..*imum*, § 61 *ecfossum* —..*eff.*, § 63 *plebeiscito—plebisc.*, (paulo superius contra *plebi* m. 1—*plebei* m. 2).

III § 3 *uinclo-uinculo*, § 3 *adqui—atqui*, § 14 *pacuiano—pacuuiano*, sed forma m. 1ª tradita satis firmatur cum nummis, tum Persii palimpsesto, qui sat. I v. 717 Maio et Du Rieuo [3]) testibus exhibet *pacuius*, et aliis praeterea manuscriptis, [4]) et sane ab ipsis Oscis nomen 'Pakvius' pronuntiabatur, ut Mommsenius [5]) docet. quocirca miror Osannum veteris scribendi ratio-

1) cf. Brambach. 'Neugestaltg. d. lat. Orthogr.' p. 242 sqq.

2) cf. Neuium l. c. I p. 287.

3) l. c. p. 129.

4) cf. Schneidewin. 'Götting. Gel. Anz.' 1843 p. 705.

5) in Savignyi libro 'Zeitschr. f. gesch. Rechtsw.' vol. XIII p. 137. cf. Grotefendii Rud. ling. Oscae p. 33.

nis inprimis studiosum h. l. formam vulgarem expressisse. § 17 *milliens* —..*ies*, sed mox *milliens* et *triciens* sine punctis, § 18 *bonist* —..*est*, § 28 *quom—qum*, nescio cur hoc uno loco Halm. *quom* scripserit, cum ceteris huius libri locis (13) *qum* exhibeat cod. scripturam secutus et h. l. formam *qum* ex ipsa archetypi scriptura m. 2 sumpsisse videatur. quod autem ex scriptura *qum* Mai. (ad III § 6) concludit librum tertium ex alio exemplari, sed ab eodem amanuensi descriptum esse, falsus esse mihi videtur, cum diversa voll. archet. ad emendandum cod. Bobiensem conlatorem nostrum nactum esse parum veri simile sit. itaque in eodem archetypi vol. hanc Tulliani operis partem ab altero aliquo librario exaratam fuisse equidem crediderim, quod ne de palimpsesto ipso statuamus obstant conlationes dd. vv., quippe qui huius libri scripturam a reliquis diversam esse ne verbo quidem monuerint.

Sunt etiam loci nonnulli quos recte corr. emendavit, nisi quod eam quae ipsius aetate obtinebat scribendi rationem secutus est suumque consuluit ingenium: I § 2 *positaet* m. 1—*positaest* m. 2 p. *positast*, ut recte Halm. scribit, § 5 *cuius—ciues* [1]) p. *ciuis*, § 62 *plebie—plebis*, ut Du Rieu opinatur, p. *plebei*, § 67 *eiis—et iis* p. *et is*, II § 28 *proditumsit*—..*est* p. *p*..*mst*, quod recte Krarup. scribendum proposuit, § 65 *disseruntdi* —..*endi* p. ...*undi.* sed fieri etiam potest ut iam in archetypo sic ut m. 2 correxit formae illae exstiterint. hoc eodem referendum videtur quod I § 26 vitiosam scripturam *eoistii* in *his otii* corr. mutavit, cum potius cum Maio metathesis literarum statuenda esse videatur.

Nunc iam ad paucissimos illos locos transeunti qui re ipsa m. 2ª falso correcti sunt monendum mihi videtur nonnullas exstare eius generis correctiones quae non nisi ita explicari posse videantur, ut ex ipso archetypo profectas esse statuamus, nisi ipsis illis locis de eorum qui cod. palimpsestum lectu difficillimum contulere testimoniis addubitare malimus. I § 10 a m. 1ª exstat *quamuis ea* (i. e. *res p.*) *praematur periculis*, m. 2 autem verbo *praematur* deleta *a* lit. sup. lin. *in* praeposuit.

1) Detlefsen *e* lit. superadditam non vidit.

quod ut de conj. factum esse putem adduci nullo modo possum. nam primum quidem formam adsimilatam, quam vocant, posuisset, ni fallor, corrector, [1]) si de conj. emendasset; tum vero quis est qui formam dilucidam verbumque usitatissimum a viro grammaticae haud ignaro in barbaram istam elocutionem sensuque destitutam sponte mutatum esse credat? quodsi, ut statuamus necesse est, ex libro illud transcripsit conlator, simul sententia nostra de ratione qua ille munere suo functus sit comprobari videtur, sc. non tam sententiae adsequendae quam verbum cum verbo conferendi rationem eum habuisse. ceterum *in* syll., quae etiam IV § 3 (*stitutorum* superadd. *in*) librarium fugit ex glossa ad *ex tempore*, quod paulo superius legitur, in margine adscripta videtur orta esse, unde fort. iam in arch. ipso in alienum locum irrepsit.

I § 30 *zethum* m. 1—*zetu* m. 2. librarios inprimis Italos, quippe quibus aspirata non sonaret, sescenties illam inepte modo omisisse vel delevisse modo addidisse notum est ac docent insuper tractatus illi de aspiratione ab Eutiche (p. 2311—2313 Putsch.) et alio quodam grammatico (gramm. Lat. V p. 439 Keil.) compositi. quocirca minime dubitarem depravationem illam nominis 'Zethum' correctoris studio tribuere, nisi etiam lit. *m* mirum in modum deleta esset, nam dicat mihi aliquis quidnam mutatione ista sibi voluerit! quod nisi minus accurate h. l. Du R. cod. scripturam investigavit — nam Mai. quidem de h. l. tacet—, ex libro fluxisse correctionem illam statuendum videtur. — In ead. § pronomini *qui* superaddita est *o* lit. non raro *qui* et *quoi* a librariis confusa esse et ipsa codd. scriptura testatur (velut in codd. Tullianarum epistul. Mediceis cf. ad Att. VIII 9, 1. 4; 11, 3; 12, 6, IX 5, 1; 9, 3, X 12, 1) et Velius Longus cum dicit (p. 2231 P. cf. Terentian. de syll. p. 2398): 'quo pinguior esset enuntiatio, *o* quoque inserebant et pro *qui*—*quoi* scribebant.' nec tamen nostrum correctorem grammaticae haud rudem formam tironibus tritissimam insolentiori eaque falsa de industria commutasse putaverim. itaque et h. l. et II § 18 formam *quoi* ex arch. repositam esse persuasum habeo, nec minus III § 18 mendosam correctionem *quique* [2]) p. *cuique*, quas formas etiam

1) cf. p. 86.
2) Mai. tamen *quoique* cernere sibi visus est.

multo saepius confusas esse notum est, [1]) eodem ex fonte profectam esse.

I § 68 *putant* m. 1—*putarent* m. 2 teste Maio, cum Du R. nullam eius emendationis mentionem faciat. etiamsi vero Mai adnotatio recte se habeat, cavendum tamen est vel maxime, ne de conj. scripturam illam m. 2^{ae} ortam esse putemus, qua cur alteram suo de penu commutandam putarit non magis adsequi possum, quam quid sententiae falsissima ista sibi voluerit. itaque, si re vera exstat, ex libro eam promptam esse iudico. quod idem valet de mendosa correctione I § 31 *intellegis* p. *intellegas*, nisi fort. h. l. Du R. ipse macula deceptus est earum ex genere quibus Maium quibusdam locis sibi imponi passum esse dicit; [2]) ortas enim hinc esse quod librarius qui Augustini commentarium descripsit iusto citius folia verterit atramento nondum rite siccato, literas autem ab illo exaratas eadem esse mensura qua correctoris scripturam.

Etiam aliis locis puto Du R. in conlatione ceteroquin accuratissima lapsum esse, velut II § 18 hanc scripturam testatur: *errore* lit. *t* superaddita priori *e* deletae, II § 50 *interpractati* in *interpretatis*, II § 56 *quodque* in *quodqui* corruptum, quo loco quod Mai. dubitat sitne lectio m. 2^{ae} *qui* an *quia* ad id ipsum referendum videtur, quod rationem corruptelae extricare non potuit. Du R. autem solam *i* lit. supra adscriptam esse dicit.

Omnes illi loci quos modo adtuli, si quidem re vera sic ut dd. vv. testantur corrupti sunt, tantum abest ut suspicionem in correctorem moveant, ut quam incuriosus fuerit sententiae eorum quae legit in conferendo cod. aperte docere videantur. sunt vero etiam aliae correctiones mendosae quae nescio an libro potius quam correctori tribuendae sint: I § 42 m. 1^{a} haec scripta sunt: *deinde aut uni tribuendum est* (i. e. consilium quo res p. geratur) *adiectis quibusdam*, corr. autem non nisi *i*, quam tamen etiam pro *l* lit. pro magna quae inter utramque intercedit similitudine accipi licet, priori *i* superaddidit. quod nisi forte solito neglegentior fuit corr. h. l. in scriptura archetypi transcribenda,

1) cf. Bramb. l. c. p. 220 sq. et 228 sq.
2) l. c. p. 10.

aut evanuisse cetera quae supra adscripserit aut, quod veri similius esse duco, iam in arch. scripturam corruptam fuisse statuendum videtur. nam de conj. quidem locum non emendatum esse nescio an hinc iure conligamus, quod scriptura m. 2^{ae} sensu omnino caret. formam *dilecti*, quam sunt qui praeferant alteri *delecti*, in eiusdem § fine m. 2 de arch., ut mihi quidem videtur, reposuit p. *delecti* m. 1, atque eadem forma etiam I § 53 et iam 1ª quidem m. scripta est, cf. II § 24 *digendum* m. 1 — *dilig.* m. 2, ubi Halm. mavult *dileg.* — II § 49 recte m. 1 exhibet *mã|lius*, sed m. 2 perperam priori versui adiunxit litt. *ni*, ut iam falsum nomen Manilii evaderet; sed puto aut parum certo hanc corruptelam niti testimonio aut re vera *manilius* in arch. exstitisse aut certe ob sq. *l* literae *i* simillimam (cf. I § 30 *man^{i}lum*, § 27 *sol^{i}uero)* oculis lapsum esse correctorem. minime vero de conj. sine libro nomen illud depravavit, cf. Mai. ad I c. 12 p. 36. reliqua eiusdem § nomina recte emendavit. — III § 23 in voce *iustitiae* lit. *a* exp. est, quod nescio an secundum librum et oscitanter quidem fecerit. corr., cum nullo alio loco similem correctionem fecisse deprehendatur, immo permultis locis rectam formam -*ae* restituerit. accedit quod II § 39 scripturam *centurie* exemplari arch. deberi vidimus. sed fort. utroque loco dd. vv. qui cod. contulere imponi sibi passi sunt.

Ad alios denique ll. corrigendos archetypum quidem adhibuisse correctorem, sed per errorem lapsum neglegentius scripturam illinc transcripsisse censeo: I § 22 *iudicam* vitiosam m. 1^{ae} scripturam in *iudicabam* correcturus *iudicabat* scripsit, quam formam a sententia h. l. prorsus abhorrentem de conj. vix credo in h. l. intulisset. minime igitur opus est Krarupii coniectura *iudicaui*, de qua v. Os — I § 65 *tamquam* m. 1 — *tantam* m. 2 p. *tantam quam*. cum recte *tan* addidisset corr., neglegentius, ni fallor, inspecto archetypo syll. *tam* ideo delevisse videtur, quod haec fort. non iam in eodem versu, sed in sequentis initio scripta exstitit in archetypo. at si de conj. syll. *tan* addidisset corr., vix puto praeter sensum syll. *quam* expunxisset.

Iam vero ad paucissimos eos locos adgrediamur quorum falsam correctionem quin ex ipsius correctoris ingenio profectam esse statuamus fieri non posse mihi videtur. atque ad ortho-

graphiam quidem quod adtinet in eo correctoris vitium conspici videtur, quod, cum ubique a m. 1^{a} exstet *senatus*, ille *a* lit. supra adscripsit ll. his II: § 15, 17, 23, 43, 56 (bis), 59 (bis), 61, 67, III § 48. — I § 16 recte a m. 1^{a} exstat *et philoleo*, nisi quod altera *l* Detlefsenio teste m. 2^{a} ex *t* correcta est. Graecum autem illum genetivum cum corr. non intellegeret, sed pro ablativo accepto praepositionem *a* desideraret, hanc dedit scripturam: *et a philolao*. minime igitur interpolatoris, sed grammatici operam haec correctio redolet. peraeque III § 12 *sepse*, quam formam nimirum ignorabat corr., in *se ipse* corrupit.

I § 3 legitur 'quae est enim istorum oratio tam exquisita, quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico iure et moribus?', sed. corr. conlocatione verborum deceptus et ablativum *iure* post *civitati* ineptum esse ratus *i* lit. superaddidit (deleta sine dubio *e*, quamquam id quidem iam non adparet). II § 16 in voce *tribubus* falsa dittographiae specie deceptus syll. *bu* exp. sententiae nulla habita ratione, non minore neglegentia corr. II § 32 deceptus praegressa voce *comitiis* [1]) scripturam m. 1^{ae} *curiatis* in ..*iis* mutavit itemque II § 67 *bella copia* in *belli c.* sed his ipsis corruptelis monemur, ne quam graviorem emendationem correctoris ingenio tribuamus. quamquam de quattuor quos modo recensui locis nescio an non maior fides habenda sit Mai [2]) et Du Rieui testimoniis quam de eis quos supra [3]) tractavi atque meras maculas pro *i* lit. vel punctis superadditis dd. vv. acceperint. sed licet etiam suspicari correctiones istas, si quidem re vera exstant, m. 3^{ae} (cf. cap. IV) vel etiam recentiori deberi.

I § 23 *essemper* m. 2 correxit in *semper*, cum ratione palaeographica Halmii conj. *esse semper* longe praeferenda esse videatur. sed puto iam in arch. *essemper* exstitisse, ita ut nihili illud emendatori ex ipsius ingenio corrigendum videretur. minime igitur suspicionis quidquam hinc moveri debet in emendatoris

1) sic enim scripturam *committis*, in qua alt. *m* del., propter eximiam litt. *t* et *i* similitudinem eum accepisse puto.

2) qui semper novum aliquid sub palimpsesti involucris lectitans invenire sibi videbatur, ut ipse de conlat. sua dicit praef. XIII.

3) pp. 89—92.

operam. nec aliter res sese habere videtur II § 55 quo loco m. 1ª scriptum est *sublataperta* p. *perlata*, quod recte Mos. coniecit, sed corr., cum in arch., ut videtur, medelam non invenisset, ipse vero rudior esset quam ut de sua mente veram scripturam restitueret, litt. *taper* expunxit itaque nihil aliud egit nisi ut vocem istam nihili in Latinam mutaret. sin vero iam in arch. *perlata* exstitit, per errorem lapsus esse putandus est emendator. sed fort. his quoque ll. duobus Mai. et Du R. parum diligenter codicis scripturam investigarunt.

De loco II § 50 quid statuam nescio, cum differant inter se testimonia Mai, qui *XXXVIII* in cod. exstare docet, et Du Rieui, qui *XXVIII* praebet. sed iusti numeri mutandi nulla erat causa et, ni fallor, Du R. h. l. in conferendo lapsus est, cum praesertim de Mai errore taceat, hic vero eo diligentius cod. scripturam h. l. investigasse videatur quod, satis copiosam de numerorum differentia notam addidit.

Mira laborat corruptela l. II § 28: 'saepe hoc (sc. Numam Pythagorae ipsius discipulum aut certe Pythagoreum fuisse) de maioribus natu audivimus et ita intellegimus vulgo existimari, neque vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus.' h. l. vv. *et ita intellegimus* expuncta esse et Mai. et Du R. testatur idque temerarie factum videri statuunt, quamquam Du R. subdubitat scripseritne sic Cic., 'nam' inquit 'fere ubique corr. bene emendavit (quamquam non uno loco idem Du R. temere eius emendd. reiecit!), iam aliud quid adscribere omisit, opinor, aut vv. haecce alio modo transponenda esse censuerat ille.' quorum neutrum probabile videtur, cum prorsus recte sic ut m. 1 scripsit Ciceronis vv. sese habeant. verbis autem illis omissis manca fit sententia atque pervertitur, quocirca ne istam depravationem correctori imputemus iure verendum est. quod nisi totum colon 'et.. existimari,' quo sane carere possumus, delere malimus, nescio an librarius ille sive lector qui e. c. II § 56 glossema *excluso tarquinio* addidit et II § 26 adprobationem suam verbo *accedo* sup. lin. adscripto indicasse videtur, idem h. l. vv. illa expunxisse putandus sit, quo ostenderet sese non idem sentire vel sua aetate non eandem de Numa rege obtinere opinionem.

Restat ut de l. II § 14 disseram m. 1ª sic tradito: *cum ad eum (sc. Romulum) potentatus omnis reccidisset,* cum m. 2 *dominatus* in locum vocis synonymae substituerit. iure vero omnes edd. *potentatus* servarunt, vocem non ab ipso quidem Cicerone, sed tamen a Caesare (BG. I, 31) et Livio (XXVI, 38) usurpatam, quae ut synonymam multo usitatiorem loco moveret fieri non potuit. itaque hinc maxime forsitan quispiam conligat correctorem summa licentia in emendando cod. versatum esse, et ipsum Maium ut aliis locis ita hic quoque parum sibi constantem video emend. illam laevo consilio et nimiae castigandi libidini tribuere. sed cum nihil quidquam interpolationis correctori tribui debeat, quod satis docuisse nobis videmur, recte iudicavit Orell. *dominatus* e glossa ortum esse; scilicet vox ista interpretandi causa iam in archet. adscripta correctori tamquam genuina in textum recipienda esse videbatur.

Iam si perpaucos qui hoc capite tractandi erant locos maxima ex parte orthographiae causa otiosa opera tentatos vel etiam falso correctos nihil valere ad infringendam m. 2ᵃᵉ auctoritatem reputamus, ceteras vero innumeras emendationes praeter paucissimas illas quibus, etsi ne in ipsis quidem adquiesci possit, tamen in restituenda lectione genuina nitendum esse vidimus prorsus sanas esse ac vel dd. vv. coniecturis plerumque ipsas per se praeferendas et omnes quidem perpaucis eisque levissimis exceptis exemplari archetypo deberi: procul dubio iam solvendus est antiquus operis Tulliani emendator suspicione illa quam ad unum omnes editores plus minus et maxime quidem praeter Heinrichium recentissimi in eum commoverunt.

Addenda.

p. 8 adn. 1 spectat ad p. 41 sqq.
p. 8 — 2 — — p. 45 sq.
p. 8 — 3 — — p. 51 sq
p. 11 — 4 — — p. 49.
p. 11 — 7 — — p. 21.
p. 13 — 1 — — p. 34.
p. 22 — 1 — — p. 88.
p. 23 — 1 — — I § 2 p. 24, II § 20 p. 27, § 59 p. 28, III § 3 p. 28.
p. 33 adn 1 spectat ad p. 88.
p. 36 — 1 — — p. 67.
p. 36 — 2 — — p. 84 sq
p. 40 — 1 — — p. 85.

VITA.

Natus sum Abraham Strelitz, fidei adscriptus Mosaicae, a. d. IV. Non. Febr. a. h. s. LI. Gnesnae, oppido Posnaniae, patre Arone, quem ante hos septem annos morte ereptum lugeo, matre Sara e gente Sieczka, qua adhuc vivente gaudeo. primis literarum elementis imbutus sum in schola urbana, qua relicta XIII annos natus progymnasium adii tum forte in patria urbe constitutum et ab Julio Methnero, directore veneratissimo, in discipulorum ordinem quartum receptus sum. maturitatis testimonium adeptus almam universitatem literarum Viadrinam Vratislaviensem petii, quam tuebatur v. cl. Stobbe, rector magnificus, ac rite nomen professus a. h. s. LXX. mense Aprili apud v. cl. Schmoelders, ordinis philosophorum decanum, scholis interfui philologicis, philosophicis, historicis dd. vv. Dilthey, Elvenich, Foerster, Hertz, Junkmann, Neumann, Oginski, Reifferscheid, Rossbach, Rueckert, Stenzler, quibus viris optime de me meritis quid debeam per totam vitam grata tenebo memoria. praeterea contigit mihi ut per tria semestria seminarii regii philologici exercitationum particeps essem, quas praeceptores celeberrimi Hertzius, Reifferscheidius, Rossbachius moderabantur, egregii studiorum meorum fautores.

THESES.

1. Cic. RP. I § 13 'in qua (i. e. disputatione) nihil fere quod magno opere ad rationes civilium rerum pertineret praetermissum *puto*' legi volo p. 'omnium.'
2. Soph. Trach. v. 1046 ὦ πολλὰ δὴ καὶ θερμὰ κἀν λόγῳ κακά scribi velim p. καὶ λόγῳ κακά.
3. Soph. El vv. 61 sqq.

   ἤδη γὰρ εἶδον πολλάκις καὶ τοὺς σοφοὺς
   λόγῳ μάτην θνήσκοντας· εἶθ' ὅταν δόμους
   ἔλθωσιν αὖθις, ἐκτετίμηνται πλέον.

   spurios esse contendo.
4. Soph. Ant. vv. 593 sq. sic legendos esse conicio:

   ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι
   πήματ' ἀφθόνως ἐπὶ πήμασι πίπτοντ'.

   p. πήματα φθιμένων κτέ.
5. frg. Diphili apud Athen. VI p. 254 e. sic ut in Meinekii ed. mai. frgg. comic. Graec. vol. IV p. 385 legitur

   ὁ γὰρ κόλαξ
   καὶ στρατηγὸν καὶ δυνάστην καὶ φίλους καὶ τὰς πόλεις
   ἀνατρέπει λόγῳ κακούργῳ μικρὸν ἡδύνας χρόνον.

   ferri non posse et hac sanari emendatione puto: καὶ πολίτας καὶ πόλεις κτέ.
6. Apul. Met. IV c. 32 p. 310 Oud. lege 'irae superum metuens dei Milesii vetustissimum percontatus oraculum a tanto numine ....virgini petit nuptias et maritum' p. 'percontatur or. et tanto numine etc.'
7. Apul. Met. V c. 6 p. 332 pro 'vi ac potestate Veneris usurus invitus succubuit maritus' scribi volo 'vi ac pot. Ven. victus rursus etc.'